DE CHRISTIANA REPUBLICA,

Seu

DE FELICI GUBERNATIONE Populi Dei,

LIBRI TRES,

EXEMPLIS HISTORICIS ſelectiſſimis referti.

Authore

JOH. GEORGIO GROSSIO
SS. Theol. D. PASTORE ad S. Petrum apud Baſileenſes.

Adjuncta eſt

EXPOSITIO ANALYTICA ET ECcleſiaſtica Præcepti verè Chriſtiani: Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt DEI, DEO.

Cum Synopſi totius Tractatus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BASILEÆ,
Typis CONRADI WALDKIRCHII.
ƆIƆ IƆ CXII.

35.2.A.26

AMPLISSIMIS

Et Virtute, Prudentia, Auctoritate præſtantiſſimis Viris,

D. JACOBO GÖTZIO Conſuli }
D. JO. WERNERO RINGLERO Tribuno pl. } novo

D. MELCHIORI HORNLOCHERO Conſuli }
D. HIERONYMO MENTELIO Trib. pl. } Veteri.

D. LUCAE ISELIO Seniori }
D. SEBASTIANO SPÖRLINO } Scholarchis.
D. HENRICO HOFMANNO }

Cæterisq; Inclytæ Reip. Baſil. Proceribus, Dominis ſuis gratioſiſs.

NEC NON

Magnifico & Excellentiſſimo Viro

D. JOH. JACOBO FESCHIO J. U. D. & Profeſſ. pro tempore Rectori celeberr. Acad. Baſil.

D. JOH. JACOBO GRYNAEO Theologo ſummo.

Ac reliquis ejusdem Acad. Dominis Doctoribus & Profeſſoribus clariſſimis,

Fautoribus ſuis plurimùm honorandis,

Præſentem Εὐαρχίαν

Obſervantiæ, animi grati, amorisque causâ Offert, Conſecrat

AUTHOR.

EPISTO-

EPISTOLA DEDICATORIA.

QUOD, Ampliſſimi, Prudentiſſimi, Magnifici, Clariſſimiq; Viri, de rerum honeſtarum præſtantia, magna cum difficultate conjuncta in proverbio dici ſolet, δύσκολα τὰ καλά: idem quoque de Magiſtratu, Imperio & Republica ſtatuendum eſt. Præſtantiam dignitatemq; Magiſtratuum & Rerumpubl. quid magis commendat & auget quàm divina inſtitutio & ordinatio? quâ Deus (*cujus nomen eſt benedictum à ſeculo vſque in ſeculum, cujus item eſt ſapientia ac potentia*) *transfert Reges & conſtituit Reges*, ut Daniel Propheta monet *cap.2.v.21.* Cujus ſententiæ ſubſcribit Paulus *Rom.13.v.1. Non eſt*, inquiens, *poteſtas niſi à Deo: & quæ ſunt poteſtates, ſunt à Deo ordinatæ. Itaque quiſquis ſe opponit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi condemnationem afferent.* Nec repugnat, ut Anabaptiſtæ ſomniant, ſeu admonitio Chriſti ad Petrum facta: *Converte gladium tuum in locum ſuum: quicunque enim acceperint gladium, gladio peribunt.* Matth.26.v.52. ſeu illud: *Scitis Principes Gentium in eas dominari, & qui magni ſunt, licentiâ uti in eas.* Matth.20.v.25. Ut enim

Chriſtus hîc non dehortatur ne quis Rex ſit, aut magiſtratu fungatur, ſed tantùm, ne quis inter miniſtros Verbi ſui, quærat præcellentiam & poteſtatem: Ita illic accipere gladium dicitur, non magiſtratus (qui cùm Dei miniſter ſit, ultor ad iram ei qui quod malum eſt fecerit, haud temerè gladium geſtat, ut idem Apoſtolus docet *Rom. 13. v. 4*) ſed is tantùm, cui à Domino gladius non traditur, id eſt, qui præter vocationem gladio utitur.

Verumenimverò quò major eſt magiſtratuum dignitas atque præſtantia ex ordinatione divina, eò quoque majores ſunt eorundem moleſtiæ, labores, curæ, ſolicitudines: quibus accuratè perpenſis, *Themiſtocles, audiens quoſdam ambire magiſtratum: Si mihi,* inquit, *duas oſtenderetis vias quarum una ad ſepulchrum, altera ad tribunal duceret, multò libentiùs ingrederer eam quæ rectà ad ſepulchrum duceret.* Non ignoravit ſanè vir ſapientiſſimus, quantæ curæ, moleſtiæ, vexationes circumveniant eos, qui in magiſtratu conſtituti, omnibus expoſiti eſſe coguntur. *Aelianus lib. 6. Variæ hiſtoriæ.* Difficultas ſeu moleſtia ejuſmodi vel exinde conſpicitur, quòd ſi magiſtratus Rempub. malè adminiſtraverint, Deum: ſi benè, Cives ſæpenumerò offendant. Hinc Chryſippus *(ut videre eſt apud Laërtium)* rogatus, quare ad Rempub. non accederet? *Quia,* inquit, *ſi malè adminiſtra-*

vero, deos (more Gentilium πολιθείαν agnoſcit) *ſi benè, cives habebo iratos.* Eſt autem apud cordatos omnes extra omnem dubitationis aleam, ſatiùs eſſe, benè adminiſtrando Rempublicam, hominum incurrere odium & reprehenſionem, quàm Deum offendere iniquâ populi gubernatione: certũ enim eſt, Deum ſeu magiſtratui impio, ſeu ſubditis rebellibus maledicere, & regna, imperia, ac reſpublicas, non tantùm in ſe diviſas, inq; ſtudia cõtraria diſtractas, ſed etiam Deo infenſas, ruinæ & exitio vicinas eſſe.

Quamobrem operæpretium eſt, quibus cauſis procreantibus adjuvãtibusq; imperiũ quodlibet ſartum tectumq; conſervetur, religioſè perpẽdi; quod ipſum præſentis Εὐαρχίας propoſitum atque ſcopus eſt. Illa namque ex occaſione illuſtris ſententiæ Chriſti: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo*; oſtendit *Primò*, quibus officiis ſubditorum erga Magiſtratum, adminiſtratio Reipub. felix reddatur, amore nimirum, honore & obedientia. *Deinde* ut viciſſim Gubernatores populi Dei mutuâ benevolentiâ & amore in ſubditos, nec non morum gravitate ac vitæ honeſtate, itemque juſtitiæ exercitio, non ſolùm majeſtatem ac gloriam ſuam muniant atque conſervent, ſed etiam toti Reip. conſulant. *Tertiò* denique quomodo utrique, Ma-

ſtratus & Subditi, DEO quæ Dei ſunt, nempe amorem ſummum, timorem, honorem, gratitudinem, inprimis verò confidentiam ſeu fiduciam cordis ſinceram, reddentes, id obtineant, ut tranquillam ac quietam vitam degant cum omni pietate & honeſtate. Quæ omnia ſic tractantur, ut ferè ſingula Exemplis, non tantùm ſacris, ſed etiam prophanis, id eſt, Gentilium & non converſorum hominum, illuſtrentur; prophanis quidem, non quaſi ſacra minimè ſufficiant, ſed tantùm, ut cujus nos Chriſtianos Gentilium probitas & integritas civilis admonere poſſit, intelligamus.

His omnibus, præter Expoſitionem Præcepti Chriſti, de cenſu perſolvẽdo, annexam; aliud quoque Opuſculum, quantumvis alienum, (Syllogen videlicet privatarum Diſputationũ Theologicarum, Eximii CHRISTI Servi, AMANDI POLANI p.m. quas multis abhinc annis collegi) aſpergere animus erat, niſi temporis anguſtia, circa nundinas adventantes, obſtaculo fuiſſet. Spero autem, DEO dante, me in gratiam Studioſorum Theologiæ ſincerioris, primâ quâque occaſione, factum, ut fœtus aliquis POLANI noſtri poſthumus, à nemine hactenus viſus, propediem lucem videat.

Vobis verò Ampliſſimi, Magnifici, Præſtantiſſimi q;

ſtantiſſimiq; Viri, Patres Patriæ, Academięq; Proceres, ut præſentem de Chriſtiana Republica Tractatum humiliter reverenterq; conſecrarem, ſuaſit non tantùm materia illius, quâ vos delectari non ignoro, veluti totos in id incumbentes, ut Rempub. Politicam ſimul ac Literariam rectè feliciterque adminiſtretis: ſed etiam maxima veſtra in me, meóſque beneficia ac merita, quæ hîc univerſa & ſingula vix, ac ne vix quidem, commemorare poſſem. Interea Amplitudinem, Magnificentiam ac Præſtantiam Veſtram ſummiſsè rogo, ut cùm meum iſtud Opuſculum boni conſulere, tum compellationem Nominis Veſtri in bonam partem, quemadmodum ex bono Veſtrique obſervantiſſimo animo proficiſcitur, interpretari dignemini.

Quod ſupereſt, oro Deum & Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut A. & M. V. omnî benedictionũ genere cumulet, ac quàm diutiſſimè benignè ſervet. Baſileæ, Anno Epochæ Chriſtianæ 1612. die 13. Jul. quo die Moſes fertur oraſſe pro populo Iſraëlitico, & iterum in montem aſcendiſſe. Exod. 32.

A. & M. V.

addictiſs.

Joh. Georgius Groſſius.

SYNOPSIS

Tractatus

DE FELICI GUBERNATIONE Populi DEI.

LIB. I.

GUbernatio populi Dei feliciſſima eſt, quum ſubditi Magiſtratui reddunt quæ debent, & hic viciſſim illis: item quum utriq; ſimul DEO officia & cultum debitum præſtant.

De ſubditorum Officio erga Magiſtratum agitur Libro primo.

Illud tribus potiſſimùm conſtat partibus: *Amore, Honore, & Obedientia.*

CAP. I.

AMORE Subditi erga Magiſtratum ducti,

I. Orant pro ipſo & feliciſſima quæque ei precantur.

II. Petunt à Magiſtratu auxiliũ & defenſionem.

III. Vitæ Magiſtratuum conſulunt.

IV. Captivitatem Magiſtratuum amoliri ſtudent.

V. Cupiditatibus eorum honeſtis ſatisfaciunt, quum poſſunt.

VI. Calamitatibus Magiſtratuum condolent.

VII. Mortem Magiſtratuum ulciſcuntur; non equidem odio *privato,* ſed vindictâ *publicâ.*

VIII. Non deficiunt, nec deſerunt Magiſtratus, multò minùs conſpirant contra ipſos.

CAP. II.

HONOREM Magiſtratui deberi, docet tum *Liber Scripturæ S.* tum *Lex Naturæ.*

Magi-

Magiſtratus honorandus eſt *corde, ore,* & *opere.*

CORDE honoratur Magiſtratus,

I. Quum ſubditi agnoſcunt gubernatores ſuos non caſu, ſed DEI conſilio præfectos eſſe.

II. Cùm metuunt eos velut Patres ac dominos juſtos, punientes malos, ac viciſſim defendentes bonos.

ORE Magiſtratui honorem debitum ſubditi deferunt;

I. Honoris titulos & axiomata dignitatum, ut par eſt, attribuendo.

II. Honorem Magiſtratuum vel verbis, quando non licet armis, tuendo, ac defendendo, tum *inter amicos,* tum *contra inimicos.*

III. Res à Magiſtratu bene geſtas collaudando, attamen citra adulationem omnem, quam Principes & Magiſtratus ſapientes minimè admittunt.

OPERE ſeu facto Magiſtratum ſubditi honorant variis modis, pro cujuſque gentis more ſeu conſuetudine;

I. Externis geſtibus ſuam erga illum declarando reverentiam.

II. Ampliando Magiſtratus dignitatem.

III. Pro gloria Magiſtratus pericula quævis decenter contemnendo.

CAP. III.

OBEDIENTIAM debitam Magiſtratibus præſtant Subditi;

I. Legibus & Mandatis pietati & honeſtati conſentaneis obtemperando.

II. Conferendo requiſitos ſumtus ad gubernationem neceſſarios, tributum, vectigal, cenſus, decimas. & ſimilia, pro diverſa politiarum ratione.

III. Aequo animo accipiendo Magiſtratuum ſententiam, & juſtas pœnas propter violatas leges.

IV. Pietatem & cæteras virtutes bonorum gubernatorum imitando.

Lib. II.

Hic tractat de Officio Magiſtratuum erga ſubditos.

Quod tripartitum eſt: Magiſtratuum enim eſt *primò* mutuâ benevolentiâ, & amore Subditos proſequi: *ſecundò* ad majeſtatem & gloriam ſuam muniendam, illis morum gravitate ac vitæ honeſtate præire: *tertiò* denique judicium æquum exercere.

Cap. I.

Benevolentiam & amorem erga ſubditos declarant.

I. Proſpiciendo Subditis de animarum pabulo, id eſt, pura verbi Dei prædicatione & ſincero cultu divino.

II. Quum Magiſtratus, reges ac principes devovent ſeſe pro ſuis.

III. Subditos in calamitatibus conſtitutos non deſerendo, ſed illis potiùs commoriendo, aut ſaltem condolendo, commiſerando, ſuccurrendo.

IV. Quum pro Subditis periclitantibus intercedunt ſeu *apud ſuperiores*, ſeu *apud æquales*, ſeu *apud inferiores*, ſeu etiam *apud hoſtes*.

V. Quum Magiſtratus non auxiliantur hoſti, quantumvis maximis injuriis à Subditis affecti ſint.

VI. Quando verè oſtendunt ſe nutritios Eccleſiarum & Scholarum eſſe.

VII. Quum de victu & aliis ad conſervandam vitam hanc temporalem neceſſariis, proſpiciunt ſubditis ſuis, præſertim famis, peſtis, aut etiam belli tempore, ad extrema redactis.

Cap. II.

Gravitate morum & vitæ honeſtate: necnon reſpi-

reſipiſcentiæ exemplo, quoties opus eſt, Subditis prælucent Magiſtratus pii.

I. Quia ſic ſibi honorem & auctoritatem apud Subditos conciliant.

II. Quia Magiſtratus impiè viventes, ideoq; ſubditos offendentes, omnem amittunt exiſtimationem, & ab infimæ ſortis hominibus contemnuntur, nec non ſæpenumero ab omni dignitatis gradu & officio removentur.

Inprimis Magiſtratus boni, ut honorem debitum à Subditis obtineant, cavent ne nimiam cum Subditis familiaritatem exerceant, ſed ab omni ſcurrilitate alieni ſint, medium inter hanc & ſuperbiam probè obſervantes.

Cæterùm gravitati ac moderationi operam navãt in fortuna cùm *proſpera* tum *adverſa.*

CAP. III.

JUDICIUM *æquum* exercent, unicuique ſuum tribuendo.

Idque tum *verbis,* tum *factis.*

VERBIS, I. quando Magiſtratus legum ac mandatorum promulgatione Subditis ſuis auctores ſunt pietatis, probitatis & honeſtatis, nec non pœnitentiæ & orationis, annexis partim *promiſſionibus erga obedientes,* partim *comminationibus adverſus immorigeros.*

II. Quando jus dicunt Subditis.

Idque cùm *innocentem ab adverſario liberando ac juſtificando,* tum econtrà *reum* (qui verè talis eſt) *accuſando, injuſtumque declarando.*

Hìc præcedat neceſſe eſt, I. Prompta ac benevola attentio ad partes litigantes audiendas. 2. Cauſæ diligens conſideratio.

III. Quando virtutes & res à Subditis bene geſtas collaudant, ſicque animum illis addunt partim *ſtudium bene cœptum continuandi,* partim *etiam majora tentandi.*

IV. Quando Subditorum vitia atque delicta reprehendunt, quidque illi peccatis ſuis meruerint, ſimul indicant.

Factis judicium æquum exercent duobus potiſſimùm modis:

Prior eſt: quũ innocentes, juſtos ac bonos, quos verè tales eſſe cognoverunt, tuentur, defendunt, cuſtodiunt atque juvant.

Hîc tria notanda ſunt:

1. Graviter peccare illos, qui injuſtæ accuſationi innocentium dant locum.

2. Graviùs peccare eos, qui innocentes ac juſtos non defendunt, nec liberant à periculis, etiamſi poſſint ac debeant.

3. Omnium graviſſimè peccare illos Magiſtratus, qui ipſimet occaſionem captant innocentes ac pios ex invidia alióve vitioſo affectu accuſandi, condemnandi, opprimendi.

Posterior: quum non indulgent vel intempeſtivè parcunt ſontibus noxiíſve hominibus.

Ubi hæc quatuor obſervanda veniunt:

1. Sontes, noxios ac jure condemnatos, à nemine fovendos eſſe.

2. Eoſdem nec defendendos.

3. Nec liberandos eſſe.

4. Ita tamen puniendos eſſe, ne pœna immoderata vel nimia ſit.

Pœnæ nimiæ opponitur *ut contrarium* indulgentia & gratia non neceſſaria: ut *medium* pœna juſta quorumvis ſcelerum.

Lib. III.

Hoc Libro agitur de communi Magiſtratuum & Subditorum erga Deum officio.

Cujus partes quinque potiſſimùm ſunt: *Amor, Timor, Honor, Gratitudo*, & (qui horum omnium fons eſt) *Confidentia erga Deum*.

Cap.

CAP. I.

Amor, *dilectio* & *charitas* in rebus *divinis* non ita diſcernuntur, ut in *humanis*.

Amor erga Deum vel *naturalis* eſt, vel *ſupernaturalis*.

CAP. II.

Timori Dei vero, (qui item *filialis* & *fidelis* dicitur) opponitur tum *infidelis timor Dei*: tum *ſecuritas carnalis*, & *timor hominum potiùs quàm Dei*.

Infidelis timor Dei eſt vel *timor Dei* καταχρηστικῶς *ſic appellatus*, vel *timor Dei vanus*, vel *ſervilis timor Dei*.

Servilis timor Dei eſt cùm in *dæmoniis*, tum *in hominibus impiis*.

Isque differt à terrore Dei, quem Deus incutit non tantùm *infidelibus*, ſed ſæpenumero etiam *fidelibus*.

CAP. III.

Hîc oſtenditur *quomodo honorandus* ſit Deus, *quomodo* item *non ſit honorandus*.

Honorandus eſt 1. *religioſâ adoratione*. 2. *hymnis ſeu Pſalmis*.

3. *Agnitione, confeſſione & deploratione humilitatis, fragilitatis, indignitatisque noſtræ*.

4. *Votis religioſis*.

Non honorandus autem eſt ſuperſtitioſè, hoc eſt, aliter quàm ex præſcripto Verbi divini.

CAP. IV.

Obedientia DEO debita non eſt tantùm *rectio locomotivæ*, ſed etiam *conformatio animi ad voluntatem Dei*.

Eſtque vel *perfecta*, vel *inchoata tantùm*.

Illa *futuræ*, hæc *præſentis vitæ eſt*.

OBSERVATIONES.

1. Quicunque Deum verè diligunt atque hono-

ſant, illi parati ſunt eidem quoque obtemperare.

2. Nemo Deo rectè obedire poteſt, niſi priùs voluntatem ejus probè cognoverit.

3. Obedientia Deo præſtanda eſt, contra ſpem ſub ſpe.

4. Animo item promto atque hilari, abſque ulla tergiverſatione & faſtidio.

5. Conſtanter, continuoq́ue obſequii ἐνδελεχισμοῦ.

6. Obedientiam Deo debitam ſincerè præſtantibus benedicere Deus vult, poteſt, ſolet.

7. Sæpenumero etiam non regeniti homines mandata divina admirantur, magnifaciunt & exſequuntur.

8. Ex infirmitate pii interdum ad tempus morem non gerunt vocanti jubentique Deo.

9. Nulla in re, etiamſi honeſta, utilis & facilis appareat, dæmoni obediendum eſt.

CAP. V.

Gratitudinem Deo præſtandam eſſe, præter *S. Literas* ipſa quoque *Natura* docet.

Gratitudo erga Deum declaranda eſt propter *beneficia* partim *piis & impiis communia*, partim *electis propria.*

Communia ſunt: *Creatio, ſanitas recuperata, vitæ conſervatio, victoria, opes.*

Propria ſunt *vocatio ad Chriſtum, juſtificatio, regeneratio* &c.

Porrò gratias agere Deo tenemur partim *noſtrâ ipſorum causâ*, partim *pro aliis, quibus benefecit* DEUS.

Gratitudini opponitur Ingratitudo, quæ cùm *ex mendacio* tum *ex injuſtitia* conſtat.

Ingratitudinis *ſpecies* quinque ſunt: 1. pro beneficiis gratiam non referre facto: 2. verbis gratias non agere. 3. accepta beneficia animo non agnoſcere.

4. ac-

4. accepta beneficia verbis negare. 5. pro beneficiis maleficia rependere.

Adhæc ſi ſubjecta ſpectes, committitur ingratitudo vel *in Deum*, vel *in hominem*, vel *ſimul in utrumque*.

Ingratitudo aduerſus Deum frequenter committitur vel *oblivione acceptorum beneficiorum*, vel *diſſimulatione*, vel *extenuatione*, vel *negatione*, vel *maligna interpretatione*, vel denique *relatione maleficiorum*.

CAPUT VI.

Confidentia erga Deum complectitur *fidem ſalvificam* & *ſpem*: quæ partim *conveniunt*, partim *differunt*.

Conveniunt 1. *In cauſa efficiente communi.* 2. *in adj*[illegible]*ta certitudine.*

Differunt verò multis nominibus.

Pii DEO confidunt vel *quoad corporalia*: vel *quoad ſpiritualia*: vel *quoad utraque ſimul*.

Synopſeωs ſeu

Indicis Rerum & Capitum

Finis.

Errata Typographica.

fol.62. lin.5. *reteptus*, lege, *receptus*.
72. lin.6. *aiis*, lege, *aliis*.
74. lin.7. *me*, lege, *ne*.
89. l.6. quædam exemplaria habẽt *exemplum* pro *exemplis*.
90. li.11. *quis*, lege, *quia*.
108. l.17. *ſubſellis*, lege, *ſubſelliis*.
116. l.14. *qui fortiter*, lege, *qui non fortiter*.
118. l.2. *Sin a*, lege, *Sin autem*.
121. l.8. *oblata*, lege, *ablata*.
154. l.ult. *onbo*, lege, *bono*.
In Append. fol.40. l.19. vocula *populus* abundat.

DE

35-2-17,26 3 96

DE FELICI GUBERNATIONE POPULI DEI,

LIBER I.

Continens

Præcipuas partes Officii Subditorum erga Magiſtratum.

CAP. I.

DE AMORE ERGA MAGISTRATUM.

NECESSE eſt, eam Gubernationem populi Dei feliciſſimam eſſe, in qua locũ habet Præceptum Chriſti: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo.* Matth. 22. v. 21. Hoc eſt, ubi ſubditi Magiſtratui perſolvunt quod ei debetur, ac viciſ-

ſim Magiſtratus Subditis quod ipſis debetperſolvit, ſimulque tum Magiſtratus, tum Subditi erga Deum ſeſe decenter gerunt.

Hoc igitur primo præſentis Tractatus Libro de Officio Subditorum erga Magiſtratum agendũ eſt: ut deinceps ſecundo Libro de Officio Magiſtratus erga Subditos, ac tertio denique, de utrorumq; Officiis erga Deum. Quibus expeditis, quæ ſit felix Populi Dei Gubernatio, aut ſaltem ejuſdem Cauſę Conſervantes, manifeſtum fiet.

Cæterùm Officium Subditorum erga Magiſtratum quod attinet, tribus potiſſimùm partibus conſtat: *Amore, Honore & Obediẽtia.* Ad hæc enim tria, quicquid Subditi Magiſtratui debent, referri poteſt.

AMOR in primis à Subditis requiritur, quo illi Magiſtratum ſeu Superiores omnium ordinum, velut Patres Patriæ proſequuntur.

Hoc amore Subditi erga Magiſtratum ducti,

1. Orant pro ipſo & feliciſſima queque

ei pre-

ei precātur, juxta admonitionem Apoſtoli 1 Tim. 2. v. 1, 2. *Adhortor igitur ante omnia ut fiant deprecationes, preces, poſtulationes, gratiarum actiones pro quibusvis hominibus: pro regibus & quibusvis in eminentia conſtitutis: ut tranquillam ac quietam vitam degamus cum omni pietate & honeſtate.*

Exempla.

Jacob Patriarcha benedixit Pharaoni Aegyptiorum regi. *Gen. 47. v. 7, 10.*

Subditi Saulis hac acclamatione regem ſuum excipiunt, *vivat* Rex. *1. Sam. 10. v. 24.* Similiter faciunt *Subditi Salomonis*, dicentes, Vivat Rex Salomon, 1. Reg. 1. v. 39. *Subditi Joas* 2. Reg. 11. v. 12.

Judęos in Babyloniā deportatos jubet Dominus orare pro incolumitate ſeu proſperitate civitatis hoſtium quò abducti fuerant, ſiquidem in proſperitate illius futura ſit ipſis proſperitas. *Jerem. 29. v. 7. Baruch. 1. v. 11.*

Satrapæ Regis Nebucad-netzaris hunc Regem ſuum ita compellant, O Rex in ſecula vive. *Dan. 3. v. 9.* Iiſdem verbis *Regina Belſchatzaris* hunc ipſum allo-

quitur Dan.5.v.10. Iiſdem quoq; utuntur *Satrapæ Darii* Dan.6. v.7. *Daniel* etiam v.22.ejuſd.cap.

Quæſtio hîc incidit:

Num etiam pro impiis & infidelibus Magiſtratibus orandum ſit?

Reſp. Omnino: ut ex antè citato Pauli teſtimonio patet, nec non ex eo quòd Deus voluit ut Judæi pro Nebucadnetzare & Dario, Regibus Babyloniæ orarent. Pro omnibus enim omnium ordinum hominibus viventibus adhuc in terris eſt orandum communiter. Pſalm.28. verſ.9. exceptis iis qui ad mortem peccant, quemadmodum docet Johannes epiſt.1.ca.5.v.16. Ideoque etiam orandum pro hoſtibus & perſequutoribus Eccleſię, quàm diu non conſtat, eos ad mortem peccare. Sic enim ait Chriſtus Matth.5. ver.44. *Precamini pro iis qui vobis infeſti ſunt & perſequuntur vos:* & exemplo ſuo prævivit, orans in cruce pro iis à quibus crucifigebatur, Luc.23.v.34. Hinc Paulus dicto loco 1. Timoth.2.v.2. jubet orare

rare pro regibus & quibusvis in eminentia conſtitutis, quorum aliqui hoſtes & perſequutores Chriſtianorum fuerunt.

II. Petunt à Magiſtratu auxilium & defenſionem.

EXEMPLA.

Mulier Tekohæa à Davide rege auxilium petens ait: Serva ô Rex *2. Sam. 14. verſ. 5.*

Mulier alia Regem Iſraëlis, tempore famis compellans ait: Serva, Domine mi rex. *2. Reg. 6. v. 26.*

Sunamitis dicitur prodiiſſe ad implorandum regem pro domo ſua & pro agro ſuo. *2. Reg. 8. v. 3.*

Ἀπορία:

An etiam à tyrannis & hoſtibus Eccleſiæ beneficia petenda & exſpectanda ſint?

Reſp. Quatenus certum eſt, Deum corda regum etiam improbiſſimorum manu ſuâ tenere ac pro beneplacito flectere & impellere quò vult, ita quidem ut ſæpè inviti vel ignorantes piis

benefaciant; eatenus ab ipſis beneficia petenda & ſperanda ſunt. Ideoque pii, cùm ipſis improbus aliquis ac hoſtis Eccleſiæ implorandus venit, ante omnia Deum ipſum invocare ſolent, ut is cor improbi illius promptum ac facile reddere velit ad opem ferẽdam. Hoc modo *Vidua illa* ad judicem iniquum converſa petiit, ut ſe ipſam vindicaret ab adverſario, idq; petiit ſine intermiſſione, ſperãs futurum ut tandem, Deo ſic animum judicis moderante exaudiretur, quod etiam factum eſt: Etſi enim Judex ille Dei timens non eſſet, nec quenquam hominum revereretur, tamen demùm ſolicitatione Viduæ continua victus dixit, Vindicabo eam, ne ad extremum veniens obtundat me. *Luc. 18. verſ. 2. & ſequentib.*

III. Vitæ magiſtratuum conſulunt.

Exempla Sacra.

Erat *Davidi* adeò infẽſus rex Saul, ut nullus in tota Judæa eſſet locus à regis inſectatione non illi infeſtus. Ceterùm cùm ſæpe regem injuriæ obnoxium habuiſ-

habuiſſet, maluit regię veſtis laciniam reſcindere, quàm cervicem: & dormienti urceum potiùs adimere voluit, quàm caput. *Sabellicus lib.3. cap.18. ex libro 1. Sam. c.24. & 26.*

Cùm David regno pulſus ab Abſalomo F. in urbē Mahanaim trans Jordanem cum 4000. fugiſſet: perſequente Abſalomo, exercitum in tres partes diviſit: unam Joabo, alteram Abiſæo Joabi fratri, tertiam Etthæo Gethano tribuit: ipſe cum militibus ſę profecturum dixit. At *milites* noluerunt, ſed ut in urbe maneret ſubſidii loco, coëgerunt: nā ſi in bello cecidiſſet, Abſalomum victoriam planè conſecuturum: ſi verò in urbe ſe cōtinuiſſet, quamvis amiſſo eo exercitu, nihilominus novum exercitum comparandi facultatem habiturum. 2. Sam. 18.

David rex in conflictu cum Palæſtinis defatigatus à Jeſibenobo gigante oppreſſus fuiſſet, niſi Abiſæus Sarujæ ſororis Davidis F. ſuccedens gigātem peremiſſet. At Davidis *milites* juraverunt, regem ſe deinceps in pugnam

non eſſe admiſſuros. 2. Sam. 21.

Urias Ethæus nolebat eſſe in deliciis, quandiu Joabus polemarchus ſuus laboraret in exercitu. 2. Sam. 11.

EXEMPLA PROFANA.

Cùm L. Sylla ex Aſia rediret, cum victore exercitu, transvecturus eum Brũduſium ex Dyrrhachio cõtra Cinnam & Marium, & vereretur, ne ubi Italiam attigiſſent, dilaberetur quiſq; per oppida: primùm adjurarunt ultrò *milites*, ad ſigna ſe manſuros, nec Italiam volentes vexaturos Deinde quia magnâ pecuniâ conſiderabãt eum indigere: obtulerũt ei pro ſuis quiſq; facultatibus argẽtum. *Plutarchus in Sylla.*

C. Jul. Cæſari ingreſſo civile bellum *Cẽturiones* cujuſq; legionis ſingulos equites è viatico ſuo obtulerunt: & univerſi milites gratuitã, & ſine frumento ſtipendioq; operam, quum tenuiorum tutelam locupletiores in ſe contuliſſent. Neq; in tam diuturno ſpatio quiſquam omnino deſcivit: pleriq; capti conceſſam ſibi ſub conditione vitam, ſi militare adverſus eum vellent, recu-

ſarunt

ſarunt. Famem & cæteras neceſſitates, non quum obſiderentur modò, ſed etiamſi alios ipſi obſiderent, tantopere tolerabāt, ut Dyrrhachina munitione Pompeius, viſo genere panis ex herba (quo ſuſtinebantur) cum feris ſibi rem eſſe dixerit: amoveriq; ocyus, nec cuiquam oſtendi iuſſerit, ne patientiâ & pertinaciâ hoſtis animi ſuorum frangerentur. *Suetonius.*

Interfecto Caligula à Conjuratis, *Germani* ſatellites rumore adhuc incerto ejus inſidias vindicare cupientes, ſtrictis gladiis circūdedere Theatrum, & populum omnem cōfeciſſent, niſi Aruntii preconis voce, Cajum pro certo interiiſſe affirmantis, fuiſſent cohibiti. *Joſephus lib. 19, cap. 1.*

Pertinax Romanorum Imp. cùm à ſeditioſo milite interficeretur, ſolus *Electus*, qui nunquam Pertinacem deſeruit, quoad potuit, opem tulit, ac pleroſque milites vulneravit: ac cum Imperatore trucidari quàm in conſpiratorum ſententiam ire maluit. *Xiphilinus in Pertinace.*

Dubium.

An quovis modo ſubditis licitum ſit vitæ Magiſtratuum conſulere, eósve defendere?

Solutio.

Non intempeſtivè, nec ex temeraria vindictę cupiditate privatâ, nec etiam invitis Magiſtratibus dęfenſio illa ſuſcipienda eſt. Cujuſmodi erat conatus ille Abiſaji filii Tzerujæ, qui cum audiviſſet Davidem regem à Semejo provocatum eſſe, ad regem converſus inquit: quare malediceret canis iſte mortuus domino meo regi? tranſeam, quęſo, ut auferam caput ejus, Sed rex conſcientiâ judicii divini à vindicta abſtinens, eum impedit ne quid adverſus hoſtem faciat. *2. Sam. 16.*

IV. Captivitatem Magiſtratuum amoliri ſtudent.

EXEMPLA.

Ptolemęus eunuchus Mithridatem ab omnibus deſertum in ſuum equum ſuſtulit, & manibus L. Luculli eripuit. *Fulg. l. 9. c. 7. ex Plutarcho.*

Capto

Capto ab Anglis Ioanne Francorũ rege, Carolus Sapiens Delphinus civitates circumibat, opem rebus afflictis & Patri petẽs. Apud ſingulas perfecit, quod apud univerſas nequiverat. *Occitani* in provincia Narbonenſi, auctore Armeniaco Comite, non expectatis precibus Delphini, aurũ matronarum & omnia ornamenta contulere: legem etiam ſumptuariam & de mundo muliebri repetivere: octo millia bellatorum armaturos ſe tutaturosque profeſſi ſunt, quo ad domum rex reſtitueretur. Eos Campani ſecuti ſunt. *Aemilius lib. 9.*

V. Cupiditatibus eorum honeſtis ſatisfaciunt, quum poſſunt.

EXEMPLUM SACRUM.

Inter XXXVII. Davidis fortiſſimos milites, hi tres Iaſobaamus, Eleazarus & Samma, cùm David aliquando deſideraſſet de puteo ad portam Bethlemæ poſito aquam bibere, per media hoſtium Palæſtinorum caſtra magno animo penetrarunt, & Davidi aquam attulerunt. At rex eam Jovæ libavit, utpote

utpote hominum vitę periculo emtam. *2. Sam. 23.*

Exemp. Profanum.

Ferũt in expeditione adverſus Darium, *Macedonem* quẽdam Alexandro potum obtuliſſe. Quo rogante, quonam eam aquam ferret? & reſpondente, ad filios ſe ferre, qui etiamſi morerentur, diu ſupervivente Alexandro, copia liberorum ei defutura non eſſet: Alexandrum, cum jam manu teneret galeam ut biberet, dixiſſe: Nolle ſe bibendo aliorum augere ſitim: & aquam illi reſtituiſſe.

VI. Calamitatibus Magiſtratuum condolent.

Exemplum Sacrum.

Mephiboſethus Saulis F. à Davide & opibus & convivii honore decoratus, eodem expulſo à filio Abſalomo pleriſq; aliis dẽficiẽtibus, neq; pedes lavare, neq; barbam tondere, neq; veſtimenta abluere voluit, priuſquam David in regnum reſtitueretur. *2. Sam. 19.*

Exemp. Profanum.

Moris aſſerunt *Aethiopibus* vicinis

Aegypto

Aegypto fuiſſe, ut ſi quando rex aliquâ corporis parte ex quavis cauſa debilitaretur, domeſtici omnes ſponte ſua eandem partem debilitarent. Turpe enim exiſtimabant, rege claudo non & omnes claudos amicos eſſe. *Diod lib 3.* & *Strabo l.17.* Utrum verò mos ille uſq; adeò laudatiſſimus fuerit, cordati judicent.

VII. Mortem Magiſtratuum ulciſcuntur nonequidem odio privato ſed vindictâ publicâ: ſin ſecus, laudem ultionis nullam merentur.

EXEMPLUM.

Cæſo per dolum cum omni nobilitate Roluone Danorum rege à Suecis, Hiartuarus cædis auctor, idemq; Roluonis Sororius, quem Sueciæ præfecerat, cum in triumphali epulo fortitudinem fidemque procerum & ſatellitum Roluonis vehemẽter commendaſſet, qui regi ſuo ſupereſſe noluiſſent: viciſſim fortunã accuſabat, quòd ſibi ne unius quidem eorum obſequium ſupereſſe permiſiſſet, quàm libentiſſimè ſe talium virorum famulatu u-

ſurum teſtatus. Oblato *Viggone* (qui unicus ſuperfuit, & jampridem à Roluone ſuſceptus, voto ſe obſtrinxerat, ejus ſe mortis, quantum homini liceret, vindicem fore) perinde ac munere gratulatus, An ſibi militare vellet? inquit. Annuenti diſtrictum gladium offert. Ille cuſpidem refutans, capulum petit: hunc morem Roluoni in porrigẽdo militibus enſe extitiſſe præfatus. Olim namq; ſe regum clientelæ daturi, tacto gladii capulo obſequium polliceri ſolebant, Viggo capulũ complexus, cuſpidem per Hiartuarum egit, & promiſſa Roluoni parentalia peregit. Quo facto ovans, irruentibus in ſe Hiartuarii militibus cupidiſſimè corpus obtulit, plus voluptatis ſe ex tyranni nece, quàm triſtitiæ ex propria ſentire vociferans. Eadem itaque dies Hiartuarii regnum finivit ac peperit. *Saxo lib.2. & Cranzius lib. 1. Sueciæ cap. 20.*

VIII. Non deficiunt, nec deſerunt Magiſtratus, multò minus conſpirant contra ipſos.

EXEM-

Exempla Sacra.

David rex cùm ab Abſalomo filio regno pelleretur, omnes *Cerethæi* & *Phelethæi*, item *Gethani* ſexcenti milites fortiſſimi eum comitati ſunt. *Ethæus* Gethanus, vel invito regi ſe comitem & vitæ & mortis futurum conſtanter aſſeruit. *Sadocus* item & *Abiathar* Pontifices & Levitæ omnes cum arca Domini. At David ſacerdotes cum arca in urbem redire juſſit, ſpe bonâ erga Deum fretus, futurum propediem, ut & arcam & regnum reciperet. Manerent ipſi Hieroſolymis, & Abſalomo ſe favere ſimularent, clam interim per Achimaan Sadoci, & Jonathanem Abiatharis filium ſe de omnibus Abſalomi conatibus certiorem facerent. Eodem quoque conſilio *Chuſæum* Architam conſiliarium ſuum fidiſſimũ in urbem redire juſſit, qui ſe ad Abſalomum defeciſſe ſimularet, & Achitophelis cõſilijs ſeſe opponeret. *2. Sam. 15.*

Iſraëlitis cæteris ad Sebam deficientibus, *Judæorum* tribus Davidi regi conſtanter adhæſit. *2. Sam. 20.*

Exempla Profana.

Baſilienſes Ludovico Bavaro Imp. faventes, legatum Apoſtolicum, diras Imperatori publicis literis intentantem, è ſummo templo præcipitem in Rhenum dedere, & natando ferè elapſum naviculis inſecuti trucidavére. Minoritas quoque & Dominicanos, Pontificiis edictis parentes, neque ſacra celebrare volentes, urbe exegére, his verbis: Sie ſolten leſen oder ſingen/ Oder auß der Statt ſpringen. Stũpfius in Helvetiæ Chronico.

Sigiſmundus Quinqueccleſienſis epiſcopus, à Maximiliano I. Rom. Imp. per literas, promiſſo in defectionis precium Salzburgenſi archiepiſcopatu, ut ipſius ſe partibus adjungeret, ſolicitatus reſpondit: Datam ſemel Vladiſlao fidẽ fallere nefas eſſe ſe exiſtimare. Maximilianus antiſtitis integritatem laudavit. *Bonfinius l 1. Dec. 5.*

Ferentius Bodo Hungarus, cui Joannes Sepuſius in regem coronatus precipuum militiæ ſceptrum atque vexillum contra Ferdinãdi Auſtriaci exer-

citum

citum de manu tradiderat, ad Tocacium prope Tibiſcum amnem, à Ferdinandi militibus victoribus captus, & & ad Ferdinandum perductus: quum propoſitâ libertate flecti non poſſet, ut ſacramentum Joanni dictum violaret, & contra eum militaret, à clementiſſimo alioqui rege in tenebricoſum carcerem Novæ civitatis relegatus eſt, atque ibi aliquãto pòſt pedore conſumtus miſer fato ſuo conceſſit. *Jovius lib. 28. Hiſt.*

Lyſimachus Macedo ob Calliſthenis philoſophi ſtudium leoni Alexandri juſſu, objectus, manum manipulo involutam in fauces irruentis belluæ injecit, linguamque fortè adeptus, non priùs ab ea convellenda deſtitit, quàm rege & qui cum eo aderant, ſtupentibus, belluam exanimem ad terram dejecit. Fuit id conſtantiæ exemplum illi apud Alexandrum ſaluti, quippe qui juvenem datâ veniâ inter familiares recepit. Nec ille propterea minore fuit fide in regem, utpote qui Alexandrum poſtea ſolus per vaſtas arenarum

moles fideliter fuerit comitatus, quū inſectandorum hominum ſtudio dux ferociſſimus procul à ſuis deerraſſet. Alexandro defuncto, occupavit tandem Macedoniæ regnum. *Sab.lib.7.En. 4.ex Plut.& Curtio & Pauſaniæ Atticis.*

Cap. II.

DE HONORE MAGISTRATUI DEBITO.

Ubi amor erga Magiſtratum locum habet, ibi facilè quoque honor eidem debitus exhibetur.

Cæterùm non minus neceſſarium eſt, propter nonnullos Magiſtratuum oſores & contemtores, oſtendere, honorem ipſis deberi: quàm propter ſimplices quoſdam, quâ ratione illi honorandi ſint.

Honorem magiſtratui deberi, docet præter *S. Scripturam* etiam *lex naturæ.*

Teſtimonia S. Scripturæ:

Exod. 20. v. 12. *Honora Patrem tuum & matrem tuam, ut prolongent dies tuos ſuper terram illam, quam Jehova Deus tuus*

tuus dat tibi. Ubi non tantùm parentes corporis,ſed etiam patres patriæ intelliguntur, aliiq; à Deo præfecti aliis ſeu educandis ſeu inſtituendis ſeu gubernandis.

Matth.22.v.21. *Tunc dicit eis, Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo.* Quod Apoſtolus de honore quoq; Magiſtratui debito interpretatur Rom.13.v.7.inquiens: *Reddite igitur omnibus quod debetis: cui tributum debetis,tributum: cui vectigal,vectigal: cui timorem,timorem: cui honorem,honorem.*

Lex naturæ.

Gentes ferè quaslibet vel natura docet, reges ac principes honorandos eſſe.

Regium nomen ſanctum ubiq;, ſed in Oriente venerationis præcipuæ.Regum ibi majeſtas eximia, confluentibus ad nomen *Barbaris:* quemq; ſecundis rebus reverentiæ cultum exhibuére, vel in adverſis præſtant conſtantiſſimè. *Cælius lib.8.cap.1. Antiq. Lectionum.*

Aegyptii ſuos reges ſummo honore venerationeq; ut Deos obſervant:nam

neq; abſque divino numine illos tantum imperium credunt aſſecutos: & optimè de mortalibus meritos propter res egregiè geſtas divinæ naturæ participes arbitrantur. *Diod. lib. 1. cap. 7.*

Non ſecus apud *Gallorum* gentem conſuetudine inveteratâ venerabilis atque auguſta eſt regis ſui majeſtas, quàm natura illa ſuprema, numénve divinum. *Guicciardinus lib. 22.*

Uni omnium hominũ maximè *Luſitani* reges ſuos admirantur & amant vehementer. *Jo. Metellus in epiſtola de navigationibus Luſitanorum.*

Nota.

Tam noluerunt gentes plerǫq; non honorare Magiſtratus ſuos, ut etiam plùs ſatis, imò nõ ſine graviſſima idololatria, honorare ſtudio habuerint.

M. Antonino Philoſopho Imp. & Fauſtinæ conjugi *Senatus* Rom. decrevit ſtatuas argenteas in templo Veneris dedicari aramq; extrui, in qua virgines omnes quæ nuberent in urbe, unà cum ſponſis ſacrificarent. Præterea ut in theatro ſtatua Fauſtinæ aurea in

ſella,

ſellæ, quæ ſemper, quoties Marcus ſpectaret in eminentiore loco, unde ipſa ſpectare conſueverat vivens, poneretur, eiq; omnes præſtantiſſimæ feminæ aſſiderent. *Dion* & *Xiphilinus.*

Ita manifeſtum eſt, tum ex S. Scriptura, tum ex Lege natura Magiſtratum honorandum eſſe: ſequitur, ut idem honorari debeat.

Magiſtratus honorandus eſt *corde, ore & opere.*

CORDE honoratur Magiſtratus;

I. Quum ſubditi agnoſcunt gubernatores ſuos, non caſu, ſed Dei conſilio præfectos eſſe.

EXEMP. SACRA.

David agnoſcit Saulem pro Chriſto ſeu uncto Domini, *1. Sam. 24. v. 7* inquiens: *An facerē rem hanc Domino meo, uncto Jehovæ, extendendo manum meam contra eum? nam unctus Jehovæ eſt.*

Abiſai ſimiliter Davidem *2. Sam. 19. verſ. 21.* cùm ait: *An propterea morte non afficeretur Semei cùm maledixerit uncto Jehovæ?*

Adonias agnoſcit regnum divinitùs

traditum eſſe fratri ſuo Salomoni: ſic enim alloquitur Bathſebam matrem Salomonis: *Tu noſti meum fuiſſe hoc regnum, & in me convertiſſe omnes Iſraëlitas faciem ſuam ut regnarem: ſed devolutum eſſe ipſum regnum, ut eſſet fratris mei, eò quòd à Jehova ejus ſit.* 1. Reg. 2. v. 15.

Dan. cap. 2. v. 21. teſtatur, Deum cœli mutare tempora & tempeſtates, transferre reges, & conſtituere reges: & *v. 37. 38.* monet regem Nebucadnetzarem, Deum cœli regnum, potentiam firmitatemq; & gloriam ipſi dediſſe, & hũc (Deum cœli) conſtituiſſe Nebucadnetzarem dominatorem.

Paulus Apoſtolus idem agnoſcit Rom. 13. v. 1, 2. *Non eſt poteſtas niſi à Deo: & quæ ſunt poteſtates, ſunt à Deo ordinatæ. Itaq; quiſquis ſe opponit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.*

EXEMP. PROFAN.

Aegyptii, (ut paulò ante dictum) ſuos reges ſummo honore ac veneratione obſervarunt, quia non abſque divino numine illos tantum imperium crediderunt aſſecutos.

II. Cùm

II. Cùm metuunt eos velut Patres ac dominos juſtos, punientes malos ac viciſſim defendentes bonos.

Cæterùm cùm officium faciunt ſubditi, non eſt quod terrore panico magiſtratus velut tyrannos crudeles metuant. Quod Paulus exponit Rom. 13. verſ. 3, 4. *Magiſtratus non ſunt terrori bonis operibus, ſed malis. Vis autem non metuere poteſtatem? quod bonum eſt facito, & laudem ab ipſa obtinebis. Dei enim miniſter eſt tuo bono. Quod ſi feceris quod malum eſt, metue: non enim temere gladium geſtat: nam Dei miniſter eſt, ultor ad iram ei, qui quod malum eſt, fecerit.*

Filialis igitur timor à Subditis requiritur, quo ſtudioſè cavent, quantum fieri poteſt, ne illos quos Deus in Scriptura (*Pſ. 82. 6.*) nomine ſuo dignatur, temerè offendant.

Exemplum Sacrum.

Quum audirent Iſraëlitæ omnes illud Salomonis judiciũ, quo lites mulierum altercantium compoſuerat, timuerunt à facie regis: videbant enim ſapientiam Dei in eo eſſe ad exercen-

dum judicium. *1. Reg. 3. verſ. 28.*

EXEMP. PROFANUM.

Turci noctu *Quendam* comprehenſum de Bladi Draculæ, qui in caſtra impetum fecerat, militibus deduxerũt ad Mahumetem II. Imp. qui eum interrogavit, Quiſnam & cujas ſit, & unde veniat? qui ubi ad ſingula reſpondit, tandem juſſus eſt dicere, ſi ſciret, ubinam Bladus Daciæ princeps moraretur? Is reſpondit, ſe quidem quæ ſcire expetāt, exactè noſſe: verùm nunquam id enunciaturum, adeò metuere ſe virum illũ. Mortem intentātibus, ingeminavit non audere ſe quicquam eorum profari. Mahumetes admiratus viri conſtantiam, eum continuò necavit, dicens: Si vir ille exercitum haberet memorabilem, nõ dubito quin brevi ad magnam claritatem evaderet. *Chalcocondylas lib. 9.*

Ita corde honorantur magiſtratus à Subditis, quod alioqui Deo præcipuè debetur.

ORE quoque Magiſtratui honorem debitum ſubditi deferunt;

I. Ho-

 105

I. Honoris titulos & axiomata dignitatum, ut par eſt, attribuendo.

Titulorum Magiſtratibus debitorum denegatio & legi divinæ contraria eſt, & ingentes dolores in animis illorum parit.

EXEMPLUM.

Conſtantius Romanus Comes, qui Conſtantinum Galliæ, Maximum Hiſpaniæ tyrannos vicerat, Attalum ceperat, Valliam Gothorum regem ad pacem coëgerat, cujus deniq; virtute Honorius Imper. & dignitatem retinuerat, & Galliam liberaveraverat, duplici ab Imperatore honore affectus fuit. Nam & Conſulem iterum deſignavit, & ſororis Placidiæ (poſt Ataulfi regis cædem) matrimonio decoravit: mox etiam, ſive quòd filiis careret, quibus moriēs Imperii relinquere curam poſſet: ſive, quod præſentia reipub. tempora duorum Auguſtorum præſidio egere cenſeret: ſolenni pompâ adhibitâ Auguſtum appellatum, ſocium ſibi adeſſe imperii, & curarum omnium, juſſit. Inde Valētiniano pue-

ro ejus Nobiliſſimi dignitatem impertivit,& vt moris erat, imaginem Conſtantii Auguſti Conſtantinopolim ad collegam Theodoſium miſit. Theodoſius neq; id factum probavit, neque imaginem ejus accipere voluit. Conſtantius adeò dolorem nō tulit ut ſexto poſt acceptum Imperium menſe mœroris atrocitate confectus obierit. *Sigonius libro 11, Imperii occidentalis.*

II. Honorem magiſtratuū vel verbis, cùm non licet armis, tuendo ac defendendo, tum inter amicos, tum contra inimicos.

EXEMPLUM.

Ad Dyrrhachium pugnantib. contra Pompeium Cæſarianis, quum Cæſaris *Aquilifer* lethali vulnere transfixus morti proximum ſe ſentiret, verſus ad comites, porrigensque aquilam, quam jam ægrè ſuſtinebat, Hanc, ait, ô commilitones mei, vivens multis annis & multâ curâ ſervavi, & nunc moriens eandem Cęſari pari fide reſtituo: vos autem per communis Imperatoris amorem oro atq; obteſtor. Cavete dedecus Cæſaris caſtris inſolitum, ne forte

forte hoſtium in manus veniat tanti ducis ſignum. Hæc dicēs corruit, centumque alii primæ ſuæ cohortis cum principe ceciderunt. *Jo. Gerund. lib. 9. Paralip. Hiſpan.*

III. Res à Magiſtratu bene geſtas collaudando, attamen citra adulationem omnem, quam Principes & Magiſtratus ſapientes minimè admittunt.

EXEMPLA.

Alexander Magnus arce captâ, quum amici dicerent, illum egregiis geſtis Herculem ſuperaſſe: At ego, inquit, meas res geſtas in imperio, ne verbo quidem cum his, quæ geſſit Hercules, arbitror conferendas. *Plutarch. in Apophtheg. Regum & Imp.*

Auguſtus Domini appellationem, ut maledictũ & opprobrium, ſemper exhorruit. Cùm ſpectante eo ludos, pronunciatum eſſet à mimo. O' Dominum æquũ & bonum. & univerſi quaſi de ipſo dictum exultantes comprobaſſent: ſtatim manu vultuque indecoras adulationes repreſſit, & inſequenti die graviſſimè corripuit edicto: Domi-

numq; ſe poſthac appellari, ne à liberis quidẽ aut nepotibus ſuis, vel ſeriò, vel joco paſſus eſt, atque hujuſmodi blanditiis uti etiam inter ipſos prohibuit. *Suetonius.*

Cum *Peſcennio* Nigro Imper. creato, quidam panegyricum recitare vellet: dixiſſe fertur, Scribe laudes Marii, vel Hannibalis, vel alicujus ducis optimi vitâ functi, & dic quid ille fecerit, ut eum nos imitemur. Nam viventes laudare irriſio eſt, maximè Imperatores, à quibus ſperatur, qui timentur, qui præſtare publicè poſſunt, qui poſſunt necare, qui proſcribere. Vivus placere volo, mortuus etiam laudari. *Aelius Spartianus.*

Alexander Severus Imp. nullum omnino aſſentatorem admittebat. Si quis eum ſalutando caput flexiſſet, aut blandiùs aliquid dixiſſet, ut adulatorem inanem rejiciebat. *Lampridius.*

Atila Hunnorum rex, Patavio capto Marulli Calabri poëtæ carmen de laudibus ſuis conſcriptum, in ignem conjici juſſit: quia licentiâ poëticâ originem

ginem Atilæ ad Deos retulerat. *Nicolaus Olahus cap.15. de vita Atilæ.*

Sigiſmundus Imp. ſupra modum eum laudanti, & diis ſimilem eſſe dicenti alapas dedit: dicentique illi, Cur me cædis Imperator? Cur me, reſpondit, mordes adulator? *Aeneas Sylvius lib. 2. Commen. de Rebus geſt. Alphonſi.*

O P E R E ſeu facto Magiſtratum ſubditi honorant variis modis pro cujuſque gentis more ſeu conſuetudine.

I. Externis geſtibus ſuam erga illum declarando reverentiam.

EXEMPLA SACRA.

Fratres Joſephi prociderunt ante faciem huius fratris ſui, dicentes, ecce nos tibi ſervos. *Gen. 50. v. 18.*

Nathan Propheta ingreſſus in conſpectum regis Davidis, incurvavit ſe honorem habẽs regi facie ſuâ demiſsâ verſus terram. *1. Reg. 1. v. 23.*

Similiter inclinans verticem *Bathſeba,* facie demiſsâ in terram, incurvavit ſe habens honorem regi. *1. Reg. 1. verſ. 31.*

Exempla Profana.

M. Catone de provincia digredienti, *Milites* manum reverenter eſſe oſculatos, legimus apud Plutarchũ: quod genus honoris imperatoribus modò, idque perpaucis, id temporis tribuebatur.

Apud *Perſas* Medos & Indos, reges adorari (honore civili) & ſalutando homines toto corpore procidere, legimus. *Alexander ab Alexand. libro 2. cap. 19.*

II. Ampliãdo Magiſtratus dignitatem.

Exemplum.

Cùm Polonorum legati Leſco Albo imperium eâ lege, deferrent, ſi Govoricium Ravitum Palatinum Sendomirienſem relegaret: isque animi dubius cunctaretur; Govoricius eum ultrò hortatus eſt, ne ſuâ causâ tanta cõmoda negligeret. Malè enim ſibi ſuisque poſteris conſulturum eſſe, ſi propter ſe unum ſeniculum, & pauculos atque eos incertos dies vitæ ſuæ, in aliam familiam principatum transferri ſineret. Sed Leſcus conditionem ma-

gno

gno animo repudiavit. *Cromer. lib. 7.*

III. Pro gloria Magiſtratus pericula quavis decenter contemnendo.

Exempla.

C. Julius Cæſar ſtudium erga ſe militum & promptitudinem habuit tantam, ut qui cæteris nihil aliis in expeditionibus præcellebant, invicti atque intolerabiles in omne diſcrimen pro Cæſaris gloria ruerẽt. Qualis fuit hinc *Acilius*, qui in prælio navali apud Maſſiliam, cùm in hoſtilem navem tranſiliſſet, detruncata gladio dextrâ retinuit ſiniſtrâ ſcutum, quo pulſans hoſtium ora omnes avertit, naviq; eſt potitus. Hinc *Caſſius* Scæva, qui in pugna ad Dyrrhachium excuſſo ſagittâ oculo, humore pilo uno & femore altero trajecto, ſcuto telorum triginta ſupra centum ictibus exceptis, tanquam dediturus ſe vocavit hoſtes: duobus accurrentibus, alterius humerum gladio deſecuit, alterius ſauciavit faciem, eumque in fugam vertit, ipſe amicorum præſidio evâſit incolumis. *Plutar. in Cæſare.*

Lucius miles Bruti domeſticus atq; fidus, apud Philippos inclinatam jam aciem videns, ſe pro Bruto obtulit, ut ſpacium ei fugiendi daret: ductumq; ad M. Antonium pro Bruto, ut apparuit fraus, collaudatum eum Antonius ob fidem apud ſe retinuit: eumq; non minus poſtea ſibi fidelē ſenſit, atq; Bruto fuerat. *Plut. in Bruto.*

CAPUT. III.

DE OBEDIENTIA ERGA MAGISTRATUM.

QUi amore & honore Magiſtratum ſuum proſequuntur, illi non denegabunt eidem obedientiam debitam, quam præſtant:

I. Legibus & mandatis Magiſtratuum, pietati & honeſtati conſentaneis, obtempeperando; contrariis verò pietati mandatis decenter reſiſtendo, *Petri* & *Johannis* exemplo, qui primoribus populi & Senioribus Iſraëlis denunciantibus ne omnino loquerentur vel docerent in nomine Jeſu, reſponderūt, An apud Deum

Deum juſtum ſit, vobis potiùs auſcultare quàm Deo, judicate. *Act.4.v.18.19.*

EXEMPLA SACRA.

Hujus obedientiæ teſtimonium inſigne perhibetur *Rubenitica, Gaditica ac dimidia tribui Manaſſis*, quòd videl. obſervarint omnia quæ præceperat illis Moſe ſervus Jehovæ, & auſcultârint voci Joſuæ in omnibus quæ præceperat illis. *Joſ.22.v.5.*

Iſai Pater Davidis Sauli regi mandanti, ut filium ſuum Davidem regi mitteret, morē geſſit, miſſis ſimul muneribus, ut præter obedientiam debitam teſtaretur ſuam quoq; ergà regem reverentiam atque amorem. *1.Sam.16. verſ.20.21.*

Servi Davidis obſequium præſtant regi mandanti, ut ſurgentes fugerent ante adventum Abſolomi: ad regem enim converſi inquiunt: omnino pro ut elegerit Dominus noſter Rex, ecce ſervos tuos. *2.Sam.15.v.14,15.*

Cùm Abſolomus in pugna contra patrem Davidem, quem regno expellere conabatur, inferior fugeret, & cæ-

ſariâ ſuâ ramis patulæ quercus implexus hæreret, *Quidam* militum Joabi, qui Davidis polemarchus erat, pendẽtem videns, interficere noluit, quia regis filius erat, & David ſuis omnibus prçceperat, uti filio Abſolomo parcerent. *2. Sam. 18.*

Exempla Profana.

P. Scipio Africanus Major in Sicilia percontanti cuidam, Quare fretus claſſem educere pararet in Africam? oſtendit *Romanos* armatos trecentos, ſeſe exercentes: præterea turrim excelſam mari imminentem, & ait: Nullus horum eſt, qui non conſcensâ turri ſemet in mare præcipitaturus ſit, ſi juſſero. Sentiẽs nõ perinde referre, quàm numeroſam educas multitudinẽ, modò fortis dux educat exercitatos, & dicto audientes. *Plut. in Rom. Apophthegmatis.*

Perſæ pueros docent prçcepta de parendo magiſtratibus, qua in parte plurimum valet, quod & ſeniores enixè magiſtratibus obtemperantes coràm intuentur. *Xenophon. lib. 1. Pædiæ.* Apud eoſ-

eoſdem régi gratias agit, qui flagellari ab eo juſſus fuerit, tanquam benè ſecũ ſit actum, quòd rex ſui memor fuerit. *Stobæus Serm. 42.*

Vitoldus, qui Patrum memoriâ latè regnavit in Litvania, (fuit is Vladiſlai frater qui in Turcos memorabile bellum geſſit) tantâ inter *Litvanos* fuit auctoritate, ut multi mortales ab eo juſſi, ſine carnifice vitam finiverint. Sed metus hic fuiſſe videri poteſt, non officium. Mira ſunt, quæ de ejus crudelitate memoriæ prodita ſunt: nam & ſontes urſinis pellibus involutos canibus laniandos objeciſſe dicitur, & in expeditionibus arcum ſemper intentum habuiſſe, ut ſi quis ordine aberraſſet, eum ſagitta configeret. *Sabellicus lib. 6. capite 8.*

II. Conferendo requiſitos ſumtus ad gubernationem neceſſarios, tributum, vectigal, cenſus, decimas, & ſimilia, pro diverſa politiarum ratione; juxta præceptum CHRISTI, qui rogatus à diſcipulis Phariſæorum, num liceret cenſum dare Cæſari, an non? reſpondit: *Reddite*

quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo. Idem præcipit Paulus Rom 13.v.7. *Reddite*, inquiens, *omnibus quod debetis: cui tributum debetis, tributum: cui vectigal, vectigal.*

EXEMPLA SACRA.

Samuel Propheta *Iſraëlitis* regem ſummopere deſiderantibus indicat, quæ regni ratio futura ſit, regem videlicet apros, vineas ac oliveta ipſorum optima accepturum, & daturum ſervis ſuis; ſemina quoque & vineas ipſorum decimaturum, & daturum aulicis primoribus ſuis & ſervis ſuis: ſervosq; & ancillas ac juvenes præſtantiſſimos atq; aſinos ipſorum accepturum adhibiturumq; ad opus ſuum: greges ipſorum decimaturum: deniq; ipſos futuros ei ſervos. *1.Sam.8.v.14,15,16,17.*

Quum veniſſet *Chriſtus* cum diſcipulis Capernaum, venerũt ad Petrum qui didrachma accipiunt: dixeruntq;, Magiſter veſter non ſolvit didrachma? Dicit, etiam. Et quum ingreſſus fuiſſet domum prævenit eum Jeſus, dicens, Quid tibi videtur, Simon? Reges terræ à

ræ à quibus accipiunt tributa aut cenſum? à filiis ſuis, an ab alienis? Dicit ei Petrus, ab alienis. Ait ei Jeſus, Nempe igitur liberi ſunt filii. Sed ne offendamus eos, profectus ad mare, mitte hamum: & eum piſcem qui aſcenderit primus, tolle: & aperto ore ejus, invenies ſtatêrem: acceptum illum da eis pro me & pro te. *Matth.17.v.24,25,26,27.*

EXEMP. PROFANA.

Syri (ut inquit Ulpianus) à quartodecimo maſculi, à duodecimo feminę, uſq; ad quintum & ſexageſimum annum, tributa conferunt. *Alex. libro. 4. cap. 10.*

Indi quartam fructuum partem regibus annis ſingulis perſolvunt. *Alex. dicto loco.*

Legimus ſingula millia talentum thuris annua *Arabes* regibus Perſarum penſitaſſe: ipſosque *Aethiopes* vicenos dentes Elephantorum eiſdem pendere conſueviſſe: Romanos *à Corſis* centum millia pondo ceræ, tributi nomine exegiſſe: *Cappadoces*, Perſis quin-

gentos equos, & mulorum duo millia annua dediſſe. *Alex. lib. 4. cap. 24.*

Apud *Romanos* qui populi liberi erant, tributi nihil deferebant: ſtipendiarii autem, ad militum opus, ſtipendia pendere cogebantur. *Idem.*

III. Aequo animo accipiendo Magiſtratuum ſententiam, & juſtas pœnas, propter violatas leges.

EXEMPLA SACRA.

Achan, monitus à Joſua, ut tribueret gloriam Jehovæ Deo Jſraëlis, edendo confeſſionem ſceleris ſui, faſſus eſt, quòd peccaverit Jehovæ Deo Iſraëlis, atq; hoc & illud commiſerit, ſeq; cum ſuis, peccati ſociis, lapidibus obruendum præbuit. *Joſ. 7. v. 19, 20, 25.*

Semei, auditâ Salomonis ſententiâ, ut exſtructâ ſibi domo Jeroſolymis habitaret ibi, eâ quidem lege, ne egrederetur inde huc aut illuc; acquieſcit, inquiens, bona eſt res iſta, quemadmodū loquutus eſt Dominus meus rex ita facturus eſt ſervus tuus. *1. Reg 2. v. 36, 37.*

Idem perjurus factus, quòd ex urbe egreſſus eſſet, magno cum ſilentio audivit

divit regem perjurium ſibi exprobrantem ac dicentem: Nónne juramento aſtrinxi te per Jehovam,& conteſtatus ſum te dicendo, quo die exiens abieris huc aut illuc, certò ſcito te omnino moriturum: dixeraſq; ad me, bona eſt hæc res quam audio? Quare ergo non obſervaſti juramentum Jehovæ,& præceptum quod præceperam tibi. Tandem à Benaja ſe juſſu regis trucidari paſſus eſt. *Ibid. v. 39 & ſeqq.*

Exempla Profana.

Teribazum ajunt, cùm à Perſis corriperetur, qui eſſet vir validus, ſtrinxiſſe acinacem, ac vi ſe defendiſſe. Quibus teſtantibus vociferantibusque ex præcepto ſe regis ipſum comprehendere, confeſtim enſem abjeciſſe, manusque vinciendas præbuiſſe. *Plut. de Superſtitione.*

Stiliconi, ab Honorio Imp. genero miſſi milites, manus injicere conabantur. Ille primùm ſe defendere voluit: poſt ubi Imperatoris id voluntate fieri cognovit, manus dedit, ſeque ab illis interfici paſſus eſt.

IV. Pietatem & cæteras virtutes bonorum gubernatorum imitando: cùm enim hi non tantùm mandatis, ſed etiam honeſtæ vitæ exemplo ſubditis ſuis præeſſe ac prodeſſe ſtudio habeāt, dubitandū non eſt, quin imitatio laudatiſſimi ipſorū exempli ſpecies ſit quædam obedientiæ Magiſtratui debitæ.

EXEMPLA SACRA.

Coluit *Iſraël* Jehovam omnibus diebus Joſuæ (hujus nimirum exemplo) omnibus etiam diebus ſeniorum, qui prolongarunt dies poſt Joſuam, quiq; experti erant omne opus Jehovę quod fecit Iſraeli. *Joſ. 24. v. 31.*

Subditi Joſiæ, (qui addixit quemque inventum in Iſraele, ad colendum Jehovam Deum ipſorum) omnibus diebus eius non receſſerunt à ſequendo Jehova Deo majorum ſuorum, judicantes exemplum pii regis rariſſimum ſummo ſtudio imitandum eſſe. *2. Paral. 34. v. 33.* Exemplum hoc eſt dicti: *Qualis eſt judex populi, tales etiam ſunt miniſtri ejus; & qualis eſt dux civitatis, tales omnes habitatores ejus.* Eccleſ. 10. v. 2.

EXEM-

EXEMPLA PROFANA.

Hipparchum Piſiſtrati F. doctiſſimũ principem *Athenienſes* ſecuti ſunt in doctis hominibus obſervandis atq; colendis. *Aelianus lib.8. Var. hiſt.*

Syracuſani plerique Dionyſium tyrannum, Platonis diſcipulum factum, incredibili ſtudio imitati ſunt, ita ut tyrannidis ſedẽ pulvis occuparet præ iis qui Geometriæ operam dabant. *Plutarchus in Dione.*

Ad Imperatorum Arcadii & Honorii exempla *multos* ſubditos converſos eſſe, tum Græcos tum hæreticos, narrat *Sozomenus lib.8. c.1.* Nominatim verò in Phœnice plurimi ab impio idolorum cultu ad veram pietatem converſi ſunt, miſſis eò qui templa idolorum, juſſu Imperatorum, deſtruerent. *Theodoretus lib.5. cap.29.*

Ἀπορία:

Licet'ne imitari improbitatem & vitia Magiſtratuum infidelium: ſiquidem qui non imitantur, rebelles videri poſſunt?

Reſp. 1. Qui adulationis ſtudio du-

cti vitia Magiſtratuum imitantur, illi poſt Deum, ſeipſos quoque, ſeu, ſuam ipſorum conſcientiam offendunt.

EXEMPLA.

Poſtquam in Dionyſium incurrit Plato, & ille ſalute philoſophiæ dictâ conjecit denuò ſe in pocula, ſcorta, nugas & libidinem; *cunctos* ſtatim, ut ſi à Circes poculis transfigurati fuiſſent, inertia, ſocordia, vitæq; remiſſio occupavit. *Plutarchus de Dignoſcendis adulatoribus.*

Antiochum Syriæ regem luxurioſiſſimum, *milites* imitati ſunt, aureis clavis crepidas ſubnectentes, argenteaq; vaſa ad uſum culinæ comparantes, & tabernacula textilibus ſigillis adornantes. *Valer. Maximus lib. 9. cap. 1.*

2. Interim ſubditi leviora quædam errata magiſtratibus condonare ac tolerare eorum injurias debent, nec rebellare.

EXEMPLA.

Davide agente in deſerto Hen-Gedi, Saul ad eum intercipiendum proficiſcitur: in itinere alvum purgaturus

112

turus ſpeluncam ingreditur,& imprudens in Davidem incidit: qui ſuorum hortamento propè adductus, ut manus Sauli inferre, inhibet ſe & ſuos Saulemque egreſſum reverenter alloquens, & partem laciniæ quam abſciderat,oſtendens: evincit Saulem injuſtitiæ,ſuam innocentiam probat, & ab injuria ſibi facienda modeſtè dehortatur. Poſtremò fidem Sauli dat de non delenda ejus poſteritate. Summa: regis malitiam bonitate vincit.*1.Sam.24.*

Idem haſtam & phialam Saulis ſomno ſopiti auferens, iterum injuriarum & perſequutionum Saulis obliviſcitur & facto ipſo teſtatur, divinitùs ſe Spiritu manſuetudinis ita regi, ut magiſtratus ſui tyrannidem tolerare indies magis, magisq; diſcat.*1.Sam.cap.26.*

A Chriſto paſſo ad tēpora uſq; Diocletiani Imperatoris (hoc intervallum prope 300. annorum fuit) etſi innumera tormēta, infinitas calamitates *Chriſtiani* ſubierunt, easq; etiam hujuſmodi,ut nunc ſimul 20. millia Chriſtianorum necarentur, nunc integra oppida

everterentur: attamẽ nuſquam omnino legitur, Chriſtianos, licet his viribus, hoc numero, vi & armis, adverſus leges, Rempublicam, Magiſtratum, ſecuritatis ſuæ causâ vel tantillum ſuſcepiſſe. Quin hoc uno argumento, ſe ſuamq́ue religionem præ omnibus aliis anteferri & coli profitebantur: quòd nullâ ducti æmulatione, nullâ dominandi cupiditate, nullo ſtudio novarum partium, in ea tam pertinaciter atq; obnixe perdurarent: ſed unico amore veri ac divini cultus, Chriſtianos ſe ab eo appellari, cujus ſit (ut alia omnia) hoc piiſſimum dogma, uti pareant Magiſtratui: neq; aliâ ratione fidem & doctrinam ſuam aliis perſuaderi velint, quàm rectè dictis & factis. Itaq; cùm Nicomediæ in publico proponeretur edictum Diocletiani & Maximiani Imperatorum, crudele atque duriſſimum adverſus Chriſtianos, videlicet quò templa ſolo æquarentur, divinæ ſcripturæ comburerentur: qui inter Chriſtianos magiſtratus honóresve gereret, is ut cum infamia in ordi-

ordinem redigeretur: Chriſtianiſmum qui ſervi abjurarent, libertate donarentur, & alia pleraq; hujuſmodi: quidam, & ille primus omnium Chriſtianorum extitit, qui tantæ ſeveritatis indignatione motus, auſus ſit, cùm etiam uterque Imperator Nicomediæ moraretur, edictum manu accipere, diſcerpere, conſcindere in minutiſſimas partes. In eum cùm hoc nomine extremo ſupplicio eſſet animadverſum, reliqui etiam Chriſtiani jure cæſum eſſe pronunciarunt. *P. Aerodius ex Euſebio lib. 7. c. 5. & Nicephoro lib. 7. cap. 5.*

Finis Libri I.

LIBER II.

DE OFFICIO MAGISTRATUUM ERGA SUBDITOS.

Caput I.

DE BENEVOLENTIA ERGA Subditos.

QUòd ſi Magiſtratus amorem, honorem & obedientiam ſibi debitam (de quibus præcedente libro dictum eſt) à Subditis obtinere velint, neceſſe eſt *primò* ut viciſſim eos mutuâ benevolentiâ & amore proſequantur: *ſecundò* ut majeſtatem & gloriam ſuam morum gravitate ac vitæ honeſtate muniant: *tertiò* deniq; ut judicium æquũ exerceant. De quibus iſto libro ordinè agemus.

Cæterùm extra omnem dubitationis aleam eſt, Benevolentiam & amorem Magiſtratuum in animis Subditorum

torū mutuam excitare fidem, & benevolentiam, & hanc viciſſim in animis Magiſtratuum.

Benevolentiā & amorem erga Magiſtratus declarant Subditi, ut dictum eſt capite 1. præcedentis libri 1.

Rurſus Magiſtratus erga Subditos benevolētiam ſuam declarant iis modis, quos nunc recenſebimus.

I. Proſpiciendo Subditis de animarum pabulo, id eſt, pura verbi Dei prædicatione & ſincero cultu divino: non enim putandum eſt, ſolum corpus, exclusâ animâ, ſubditorum, curæ & protectioni Magiſtratuū commiſſum eſſe. Curam iſtam Magiſtratus declarant, quum idoneos Eccleſiæ Paſtores legitimè à Deo & Eccleſia electos ac vocatos præficiūt, & abolitâ idololatriâ, aliiſq; ritibus honeſtati adverſantibus, curāt ut pura & ſincera doctrina tradatur ac propagetur, veruſq; cultus & ceremoniæ divinitùs inſtitutæ obſeventur & exerceantur.

Hæc cura & benevolentia Magiſtratuum in Subditos prima eſſe debet,

EXEMPLA.

Joſaphat regno confirmato Eccleſias purgari & inſtitui curat: elato enim animo ſuo ad vias Jehovæ, amovet excelſa & lucos ex Juda, ac mittit cum præfectis ſuis Sacerdotes & Levitas ad docendum per civitates Judæ ex libro legis Jehovæ, quem ſecum ſumebant. Quæ res toti regno ſalutaris fuit: ſic enim gubernationi regis benedixit Dominus, ut eo procurante pervaſerit metus Jehovæ omnia regna regionum quæ erant circa Judam, ut non gererent bellum contra Joſaphatū. *2. Chron. 27. v. 6. & ſeqq.*

Joſias cum toto populo fedus cum Deo renovat: Templum & regnum ab idololatria repurgat. Quum enim miſiſſet rex; qui congregarent ad ſe omnes ſeniores Judæ & Jeroſolymorum: aſcendit rex in domum Jehovæ & omnes viri Judæ, omnesq; habitatores Jeroſolymorum cum eo, cùm ſacerdotes, tum prophetæ, ac totus populus à minimo uſque ad maximum: & legit ipſis audientibus omnia verba libri fe-

deris, qui inventus fuerat in domo Jehovæ. Deinde ſtans rex ad columnam ſuam pepigit fedus coram Jehova, ſe ſequuturos Jehovam & obſervaturos præcepta ejus, & teſtimonia ejus, ac ſtatuta ejus ex toto corde & ex toto animo, præſtando verba federis illius, quæ ſcripta ſunt in libro illo: cui adſiſtebat totus populus in ipſo federe, *2. Reg. 23.*

Cyrus rex Perſidis divinitus excitatus fuit, ut promulgaret verbum Jehovæ per totum regnum ſuum, idque etiam ſcripto, dicendo: Sic ait Cyrus rex Perſidis, omnia regna terræ tradidit mihi Jehova Deus cęli, & ipſe commiſit mihi, ut ædificem ſibi domum Jeroſolymis quæ ſunt in Juda: quis inter vos de toto populo ejus eſt ædificaturus? Jehova Deus ejus ſit cum eo, & aſcendito, *2. Chron. cap. 36. v 22, 23.*

Zorobabel Salathielis F. de tribu Juda, à Cyro rege obtinuit, ut Judæos Babylone exules in patriã reducere poſſet. At cùm Cyri edictum Cambyſes revocaſſet, iterum ſub Dario licen-

tiam impetravit, & templum ædificavit. *1. Eſdræ 1. & Joſephus lib. 11. cap. 2. & 3.*

II. Quum Magiſtratus, reges ac principes devovent ſeſe pro ſuis.

EXEMPLA SACRA.

Moſis quantus fuerit erga populum Iſraëliticum amor, ex eo colligi poteſt, quòd cùm illi vitulum aureum conflaſſent & adoraſſent, Deum his verbis alloquutus eſt: Ingens quidem flagitium admiſit hic populus, dum ſibi Deos aureos fecit: ſed tu aut ei peccatum condona, aut me de libro, quem ſcripſiſti, dele. Tantâ pietate Moſis Deus motus, populo ignovit. *Exod. 32.*

Idem cùm denunciante Domino finem vitæ ſibi jam inſtare ſciret, non intermiſsâ populi curâ, à Domino petiit, ut aliquem virũ cordatum Reip. præficeret, ne eſſent tanquã oves ſine paſtore. Dominus igitur Joſuam Nunis F. elegit. *Num. cap. 27.*

Davidis regis probitas & juſtitia eò major viſa eſt, quòd crudelitatem & impietatem Saulis ſequuta eſt. Illius erga populum charitas cùm in multis, tum

tũ in eo præcipuè apparuit, quòd poſtquam ob illegitimam ſimul & arrogantem plebis enumerationem puniendus, de tribus malis unum optare cogeretur, neq; famem in terram ſuam neq; cædem ſuorum ab inimicis inferendam elegerit, cùm ſibi & frumenti ſatis ſuppetere poſſet ut regi, & multorum armis tectus necem minùs ipſe timeret. Elegit autem communem tam ſibi quàm reliquis omnibus metum, peſtilentiam: imò quàm in ſe potiùs, qui deliquerat, quàm in aliis deſævituram ſperaret. At ubi vidit ſe prætermiſſo, populum vaſtari, cædiq; angelo percutiente, exclamat: Ego ſum qui peccavi, ego iniquè egi: iſti qui oves ſunt, quid fecerunt? Vertatur, obſecro, manus tua contra me & cõtra domum patris mei. Quâ pietate divinam placavit iram, ſibique & iis qui ſuperfuerant veniam impetravit, tam juſtus, in pœna eligenda, quàm promptus in perferenda. Sed cùm neque populus à culpa credatur alienus, hic corporis, ille animi dolorem paſſus eſt: mi-

nùs doliturus, ſi ſoli pati contigiſſet. *Marulus lib. 3. c 2. & Savellicus lib. 5. cap. 2. ex 2. Sam. cap. 24.*

Exemp. Profanum.

M. Antonius cùm exercitũ è Parthorum regione magno cũ periculo reduceret manus ad cœlum tendens Deos precatus eſt, Si qua priores fortunæ ſuæ ſerenitates divina invidia maneret, in ſe ut ea verteret reliquo exercitui incolumitatem tribuerent & victoriam. *Plut. in Antonio.*

III. Subditos in calamitatibus conſtitutos non deſerendo, ſed illis potiùs commoriendo, aut ſaltem condolendo, commiſerando, ſuccurrendo.

Exempla Sacra.

Joramus Judæorum rex, in dira obſcenaque fame, cùm ne à ſuis quidem partubus mulieres abſtinerent, fame adactæ: rei atrocitate domeſticaq; ſuorum clade perculſus, ſcidit ſibi veſtes à pectore, regium nomen pertæſus: publicè teſtatus, multò impenſiùs ſe dolere, quòd civitas hoſtibus circumſeſſa inediâ conficeretur, quàm quòd ipſe cum

cum ſuo regno periclitaretur. *Sabellicus lib.8.cap.2.ex 2 Reg. cap 6.*

Joacimo Judęorum rege occiſo,cùm Nabucodonoſor *Joachinum* cjus filium regem feciſſet: mox veritus ne rebellaret, contra eum exercitum miſiſſet: Joachinus civitatem noluit propter .e perdi: ſed ſeipſum cum ſuis,regiis ducibus, dedidit, & Babylonem adductus eſt. In eius locum ſuffectus Sedecias patruus. *2.Reg.24. & Joſephus lib.10. cap. 9.*

EXEMPLA PROFANA.

Cùm Gneſnâ veniſſet Vladiſlaus Jagello Poloniæ rex, & commeatum, ſeu ſtationẽ,ut vocãt vulgò,à collegio ejus Baſilicæ petiſſet, nec impetraſſet: fertur pigneraſſe facultates adſcriptitiorum Eccleſiæ. Sed cùm eã ob rem ſacris civitati interdictum eſſet, reprehenſus à regina *Hedvige* Vladislaus, pignora capta reddi juſſit. Ibi illa ſuſpirans: Pignora quidem reddemus, inquit,agreſtibus, cæterùm lacrymas quis eis reddet? Pium reginæ dictũ, & ſempiternâ memoriâ dignũ *Crom. l.15.*

Euſtathius in obſidione Theſſalonicæ noluit grege ſuo deſerto fugere: ſed in urbe tanquam carcere incluſus, cõfirmando & conſolando cives plurimùm juvit: urbe deniq; à Teutonicis militibus expugnatâ, à ducibus exercitus, q. Cõti Latinè dicuntur, edicta impetravit, quibus ærumnæ civiũ lenirentur. *Nicetas l. 1. ſub Imperio Andronici Cõneni.*

L. Lucullus Imp. adverſus Mithridatem ad direptionem captæ urbis incitantibus, dixit: Se malle unum militem Romanum ex hoſtium manibus eripere, quàm univerſas hoſtium fortunas ſibi vendicare. *Plut. in Lucullo.*

Potuit *Aemilius* Paulus Cannenſi acie tametſi vulneratus, vivus tamen & omnis culpę expers, in tutum evadere, ſed legionibus cæſis, noluit, repudiato equo, qui illi ad fugam à Lentulo deferebatur. Quin imò ſaxo ſedens, Macte, inquit, virtute iſta, C. Corneli, abi, nuncia publicè patribus, ut urbem Romam muniant, firmentq; præſidiis ante hoſtis adventum: meq; ut decet, finito inter meos milites exſpirare. Mira im-

ra imperatoris charitas, qui non potuit patriæ,quę ſuperſtes erat,non eſſe memor pauló poſt exſpiraturus. Commilitones certè relinquere noluit. *Sabellicus lib.5.cap.2.ex Livio lib.2. Decad.3.*

Alphonſus Aragonius Siciliæ rex, cùm vidiſſet naufragos auxilium implorantes,ſuos adhortatus eſt,ut illico ſubvenirent. Qui dum pertimiſcerent periculum maris tam horrendum, dicẽtes,melius eſſe unam quàm univerſas triremes perditum iri, rex ipſemet ſolvit prætoriam navem: Satius eſſe, inquiens, unà cùm ſociis viris fortiſſimis occumbere, quàm illos videre ante oculos extrema pati. *Panormit. lib.2. de Rebus geſtis Alphonſi.*

IV. Quum pro Subditis periclitantibus intercedunt ſeu apud ſuperiores, ſeu apud æquales, ſeu apud inferiores, ſeu etiam apud hoſtes.

EXEMPLA SACRA.

Naaman præfectus militiæ *Regis Syriæ* leproſus à rege ſuo commendatur regi Iſraëlis,quum is proficiſceretur in terram Iſraëlis,ſpe certâ adductus, fu-

turum, ut Eliſęus propheta ipſum reſtitueret à lepra ſua. *2. Reg. 5.*

Heſter regina ad regem Aſſuerum injuſſa veniens, magno ſe expoſuit periculo, ut Judæos populares ſuos ſervaret. *Eſther. cap. 4. & 5.*

D. Lupus, Trecacenſium epiſcopus, habitu indutus pontificali, cum multitudine Cleri, Atilę à pugna Catalaunica reliquas Galliæ urbes everſuro advenienti, fit obvius: & factâ ſalutatione interrogat Atilam, Quiſnám eſſet qui tot regibus devictis, cuncta vi ſibi ſubderet? Cui Atila: Ego, inquit, ſum rex Hunnorũ, flagellum Dei. Quâ voce Lupus territus; Quis, inquit, mortalium flagello Dei mei reſiſtet, quò minùs in omnes, quos volet, ſæviat? Veni igitur ut dicis; Dei mei flagellum & quò libet, proficiſcere: omnia tibi, ut Dei miniſtro, me non repugnante, parebunt. Juſſit inde portas urbis reſerari, ac Atilam (frenum equi honoris causâ manu tenens) ſumma veneratione introduxit. Qui ſive humanitate ductus epiſcopi, ſive Dei volũtate, ſine

ullius

 24

ullius cæde & detrimento, per urbem mediam cum omnibus ſuis copiis progreſſus, alterâ urbis parte egreſſus eſt. *Olahus cap.9.in Atila.*

Dum D. *Severinus* Bathaviæ habitaret, Gibuldus rex Alemannorum, viſurus, ut ſimulabat, Severinum, Bathaviam cum exercitu contendit. Ne urbs tanti regis adventu terreretur, Severinus it obviam Gibuldo: & ipſum tantâ conſtantiâ alloquutus eſt, ut rex ejus auctoritate permotus, iter inceptũ reliquerit: abiensq; optionem poſtulandi Severino, quicquid velit, ultrò obtulerit. Severinus nihil aliud ab opulento rege petit, quàm uti gentem ſuam abs Romanorũ infeſtatione cohiberet, pacem cum Romanis, qui tum Noricum tenebant, ſervaret, captivos condonaret. Promiſit rex, ſe omnia facturum, domumq; rediit. *Aventinus lib. 2. Annalium Bojorum.*

V. Quum magiſtratus non auxiliantur hoſti, quantumvis maximis injuriis à Subditis affecti ſint.

EXEMPLA.

Themiſtocles poſteaquam ad Xerxem confugit, Magneſiæ ſedes habens, magnisq́; cultus donis, atq; pari in honore ac primores Perſarum habitus, perdiu vitam egit ſecuram. Ut verò Aegypti rebellio, adjutoribus Athenienſibus, navesq́; Græcorum uſq; ad Cyprum & Ciliciam profectę, dominansque Cimon mari, regem, ad occurrendum Græcis, & ad reprimendum adverſus ſe incrementum revocaverunt: ad Themiſtoclē legati mittūtur mandatis regiis, ut res Græciæ ſuſciperet. Ille verò antequàm adverſus ingratam patriam quicquam adverſi ſuſcipere vellet, hauſto, ut celebris fama eſt, taurino ſanguine, vel, ut alii, veneno præſentaneo, annos natus quinq; & ſexaginta, Magneſiæ vitam cū morte commutavit. Quo à rege cognito, opinionem de eo majorem habuit, amicosque & familiares ejus perpetuâ benignitate complexus eſt. *Plutarchus in Themiſtocle.*

Nota. Non ſunt facienda mala ut eveniant

veniant bona: inò nec facienda mala ut antevertantur mala.

Quum Suella Boëmus, vir ſtrenuus à Matthia Corvino Hung. rege deficiens, Hungariam popularetur, è centurionibus ejus unus Hungarus, cui *Blaſio* Podmaniczki nomen erat, patriæ gentis charitate motus, libero in medium animo prodiit: Quocunque me (inquit) ſocii, noſtra ſocietas ire juſſerit, ſive in Polonos ire cogor, ſive in Boëmos, Alemannos've, nulla unquã erit in me mora: ſed in patriam arma ſumere, quando præter fas & æquum eſt, id nullo modo præſtare poſſum. Is igitur acceptâ continuò miſſione, inſequenti nocte cum ſuis contubernalibus clàm Ternaviam, quam Suehla oppugnare ſtatuerat, conceſſit. Cùm eum cuſtodes admittere recuſarent, præfectum urbis ad ſe vocari juſſit: feſtinati cauſam adventus, & quantum periculi immineret expoſuit, omni jubens eos ſuſpicione carere. Cùm iſta retexiſſet, à præfecto urbano mox admiſſus eſt, atque inde ſaltem nominis

ſui auctoritate hoſtes oppido caſtra admoventes repulit. *Bonfinius lib. 1. Decad. 4.*

Quid? quum Magiſtratuum ſit, Subditis defectionem, deſertionem ac perfidam deditionem diſſuadere atque prohibere; quî poſſint illi bonâ conſcientiâ clam auxiliari hoſtibus?

EXEMPLA.

Cùm afflicta Cannenſi clade urbs Rom. nihil aliud quàm præda victoris eſſe Hannibalis videretur, ideoq; reliquiæ proſtrati exercitus deſerēdæ Italiæ, auctore Lucio Metello, conſilium agitarent: *P. Scipio* Africanus tribunus militum admodum juvenis ſtricto gladio mortem unicuique minitando, jurare omnes, nunquam ſe relicturos patriam, coëgit: pietatemque non ſolùm ipſe pleniſſimam exhibuit, ſed etiam ex pectoribus aliorum abeuntem revocavit. *Val. lib. 5. cap. 6. & Sabel. lib. 1. cap. 4. ex Livio & Plutarcho.*

Sultanus Aegyptius Capuā & Beneventum obſidebat. Baſilius Græcorum Imp. auxilium pollicetur. *Legatus* ad ſuos

ad ſuos rediens capitur à Saracenis,& ampliſſimorum præmiorum ſpe invitatur, ut ad muros urbis productus auxilia nulla exſpectāda eſſe proclamet. Simulat ſe conditionibus acquieſcere. At ubi in conſpectum civiū venit, Baſilii Imp. firmiſſimas copias propediem affuturas magnâ voce promiſit. Barbari circumſtantes adhuc loquentem trucidavére, & mox naves conſcendêre. *Cedrenus.*

Bajazetes II. Turcorum Imp. Naupliam eâdem quâ Coronem celeritate ſuo ſe imperio adjecturum exiſtimans, exercitus partem in Naupliorum fines induxit: miſſoq; ad oppidum cum ſuis equitibus *Paulo* Contareno cive Veneto egregiâ virtute, Bernardi Contareni, ejus qui Bello Neapolitano Epirotarum equitum præfectus mortem obierat, fratre, qui Corone uxorem duxerat, illisq; in regionibus erat notiſſimus, quemq; rex ut ad id uteretur, Corone in deditionem receptâ, habere ſecum voluerat, juſſit illum oppidanis ſuadere, ut ſe regi dederent. Is medio

in ſermone quem cum Naupliis, ad urbis muros atq; portã vocatis, ingreſſus fuerat, equo incitato equitibus imprudentibus ſe ſubripuit, atq; in oppidum, vallo ſaltu equi ſuperato, eſt receptus. Oppidani cùm Pauli hortatu ac ſtudio tum per ſeſe planè paratiſſimi, magno animo impetum hoſtium ſuſtinuerunt. *Bembus lib. 5. Venet. hiſt.*

VI. Amore ac benevolẽtiâ debitâ Magiſtratus Subditos ſuos proſequũtur, quando verè oſtendunt ſe nutritios Eccleſiarum & Scholarum eſſe.

EXEMPLA.

Pharao hoſpitium præbet, & alimentum ſubminiſtrat patri & fratribus Joſephi: ſic enim alloquitur Joſephum: Pater tuus & fratres tui venerũt ad te, terra Aegypti expoſita eſt tibi, in optimo loco hujus terræ colloca patrem tuum & fratres tuos, habitent in terra Goſchenis. *Gen. 47. v. 5, 6.*

Ezechias Sacerdotes & Levitas in ſuis muneribus ac diſtributionibus reſtituens, de cibario eorum proſpicit, revocatâ primitiarum decimarumq; lege. *2. Chron. c. 31.* *Abdias*

Abdias domus regis Achab diſpenſator, quum occideret Izebel prophetas Jehovæ, occultavit ex illis centum viros, quinquagenos viros in una ſpelunca, ſuſtentans eos pane & aquâ. *1.Reg.18. v.13.*

Magi, primitię gentium, apertis theſauris ſuis obtulerunt Chriſto munera, aurum, & thus & myrrham. *Matth. 2.verſ 11.* juxta illud Jeſ.49.ver.23. *Erunt Reges nutricii tui; & fœminæ principes eorum nutrices tuæ, vultu in terram demiſſo incurvabunt ſe habentes honorem tibi, pulveremq́ pedum tuorum lingent: ut experiaris me eſſe Jehovam, non erubeſcere eos, qui exſpectant me.* Quibus verbis Propheta narrat promiſſionem factam Eccleſiæ de benevolentia beneficiisq́ue Dei in ipſam, qui ſæpenumero regum & principum terrenorum miniſterio utitur ad conſervandam & fovendam Eccleſiam in his terris militantem.

VII. Quum de victu, & aliis ad conſervandam vitam hanc temporalem neceſſariis, proſpiciunt Subditis ſuis, præſertim famis,

famis, peſtis aut etiam belli tempore ad extrema redactis.

EXEMPLA SACRA.

Ioſeph Aegyptiis tantâ penuriâ laborantibus, ut agros, jumenta, deniq; ſuam libertatem venderent, & à ſuis ſedibus abducti ſe culturos agros regis certis conditionibus reciperent, opem fert patris inſtar fideliſſimi, eâdem curâ, quâ illis ante famem proſpectum volebat, fructus terrę congregando aſſervandoq;. *Gen.* 47.

Benadado Syriæ regę Samariā obſidente, oppidani fame laborabant, ita ut quædam mulieres à filiorum eſu nō abſtinerent: quando humiliatione *Joram* Samariæ regis, qui cilicio ſe induerat, die uno ſumma inopia in ſummam verſa eſt copiam. Syri enim horrēdo animorum ſtrepitu, divinitus excitato, vehementer perterriti, relictis impedimētis, omniq; ſuppellectili dimiſsâ, fugam fecêre. Samaritæ verò egreſſi, direptis caſtris, inſperatâ prędâ ditati ſunt, & modius ſimilæ ſtetit ſtatere uno, ſicut prædixerat Heliſæus, & duo

duo modi hordei ſtatere uno. *Marulus lib.4.c.9.ex 2.Reg.c.6.& 7.*

EXEMPLA PROFANA.

Ladislaus Ungariæ rex, quum per Getarum ſolitudines Beſſos inſequeretur, qui ingentem pecorum hominumq; prędam ex Ungaria abegerant, & fame nimiâ laboraret exercitus: exorato Chriſto opt.max.in tantum mox cervorum bubalorumq; gregem incidit,ut eſurientem abundè militem paverit.*Bonfinius lib.4.Dec.2.*

Animum ſuccurrendi miſeris Subditis,fame oppreſſis, non defuiſſe Ladislao, preces ejus teſtantur.

Nota. Non laudamus eorum ſuperſtitionem,qui ad idola ſua converſi famem amoliri conantur, etiamſi ſæpenumero, Deo ſic permittente, voti ſui compotes fiant. *Exempli gratiâ:* In Pyræo inſula, cùm urſus Dianæ ſacer ibi repertus ab Atheniēſibus interfectus eſſet,fames ingruit: itū eſt ad oraculū, quęſitum remedium.Reſpondit Deus, ita demum finem mali futurum,ſi quis filiā immolaſſet numini. Unus autem

repertus eſt *Embarus*, qui polliceretur ſe filiam immolaturum, eâ lege, ut ſacerdotium in poſteros ſuos traduceretur. Itaque puellam ſolenni ritu ornatam ſacrificavit. *Plut. in Collectaneis, & Eraſmus in proverbiis, Embarus ſum.*

Cum Illyriam & Pæoniam peſtis è ſuperioribus Barbaris invaſiſſet, *reges Illyriorum* maximis muneribus Hippocratem Coum medicum è Theſſalia evocarunt. Ipſe vero cum conſtitutionem aëris a legatis didiciſſet, & peſtilentiæ modum, neq; ſibi eò proficiſci licere dixiſſet, uti Græciam ab eo morbi genere præſervaret: Theſſalis remedia, quibus uterentur in ſingulis civitatibus, præſcripſit: Theſſalum filium in Macedoniã & Peloponneſum miſit, Draconem filiũ in Helleſpontũ, Polybium verò generum & diſcipulos alios in alias Græciæ urbes. Ipſe circũcirca profectus, Delphis ſacrum fecit pro Græciæ ſalute, Bœotiam purgavit, Athenas conſervavit. Eapropter ab Atheniẽſibus magnis initiatus fuit myſteriis cum filio Theſſalo, & aureâ coronâ

ronâ publicè donatus. *Theſſalus in legatione.*

CAP. II.

DE MORUM GRAVITATE, conciliante Magiſtratibus auctoritatem apud Subditos.

UT ſuprà dicere cœpimus, facilè Magiſtratus honorem & auctoritatem apud Subditos ſibi conciliabunt, ſi illis vitæ honeſtate ac ſanctâ morũ gravitate præire ſtudeant.

Quapropter opera piis magiſtratibus danda eſt, ut pietatis ac honeſtatis, inprimis reſipiſcẽtiæ exemplo ſuis præluceant.

EXEMPLA SACRA.

David ſaltabat (ſancto excitante ipſum gaudio, nec non ſummo ſtudio præeundi Subditis exemplo pietatis) omnibus viribus coram Jehova, accinctus quidem amiculo lineo. Deriſus eo nomine à Micale, quaſi qui retexerit ſe ante oculos ſubditorũ ut unus quiſpiam è vaniſſimis hominibus, reſpon-

dit; Coram Jehova, qui elegit me præ patre tuo & præ tota familia ejus, præcepto inſtituens me anteceſſorem ſuper populũ Jehovæ, ſuper Iſraëlem geſtivi: & geſti am corã Jehova. Quo autẽ abjecero me adhuc ampliùs & fuero humilior ante oculos meos, eo apud iſtas ancillas, de quibus loquuta eſt, & apud illos glorioſior ero. *2. Sam. cap. 6.*

Samuel tanquam Judex Iſraëlis, reſignato munere ſuo, verè dicere potuit populo univerſo: Ego continenter ambulavi coram vobis à pueritia mea in diem hunc, neminem videlicet vitæ turpitudine ſeu improbitatis exemplo offendens. *1. Sam. cap. 12. v. 2.*

Rex Ninivitarum quum ad eum perveniſſet verbum Domini, ſurgens è ſolio ſuo, ut reſipiſcentiæ exemplo Subditis præiret, depoſuit paludamentum ſuum à ſe: & operiens ſe cilicio ſedit in cinere; quo exemplo ſuo plùs certè effecit quàm mandato de vita emendanda promulgato. *Jon. cap. 3. v. 7.*

EXEMPLA PROFANA.

Ante bellum cum Eugenio, cùm in ſeditio-

ſeditione quadam ortâ Theſſaolnicæ, magiſtratus aliquot ſaxis obrutos & cõtumelioſè tractatos *Theodoſius* Imp. comperiſſet: ſeptem hominum millia in theatro interfici permiſerat. Ambroſius Mediolanẽſis Epiſcopus Theodoſium, poſteaquam Mediolanum veniſſet, templum ingredi volentem prohibuit. Imperator peccatũ ſuum agnoſcens, octo luxit menſibus, & pœnitentiæ curriculo completo, ad templũ cũ lacrymis rediit, in terram pronum ſe proſternens, ac ſic cũ Davide orans, Adhæſit pavimento anima mea. Vivifica me Domine, ſecundùm verbum tuum. Surgens verò manibus barbam & capillos evulſit; frontem cæcîdit, & pavimentum lacrymis ſuis conſperſit. Ac veniam tandem petens, receptus ab Ambroſio eſt, populo pro eo deprecante. *Theodoretus Eccleſ. Hiſt. lib. 5. c. 17.*

Mauritius Imp. ob captivos non redemtos, cùm id minimo poſſet precio, quos poſtea Barbari irâ pciti ad XIV. millia trucidarunt, Dei iram & graviſſima hominum atque ſubditorum ſuo-

rũ odia incurrit. Cæterùm facti pœnitens, ſcriptis literis, omniũ præcipuarũ eccleſiarum epiſcopos pro ſe preces ad Deũ fundere juſſit, quo in mortali hac vita, citra æternam animæ jacturam, peccatorum ſuorum remiſſionem ſibi accipere liceret. Hæc dum agitat, & in luctu ac lacrymis anteactæ vitæ pœnitentiâ ſe macerat, vocem ejuſmodi auditam fuiſſe ferunt, Ipſum voti fore compotem, & in hac vita pœnas daturum. Vidiſſe etiam in ſomnis dicitur, ſe & Conſtantiam uxorem cum filiis & filiabus, totaq; ſua familia, gladio Phocæ perimi. Id quod non multo pòſt contigit *Nicephorus lib.18.cap.38.& Paulus Diac.lib.17.*

Uterq; cùm Theodoſius tum Mauritius, pœnitentiam vitæ malè tranſactæ agens, exemplo ſuo ſubditos docet, quid unicuique eorum malè ſibi conſcio faciendum ſit, quàm modeſtè ferendæ ſint, tum objurgationes Servorum Chriſti decentes quas incurrunt, tum juſta Dei judicia peccatis accelerata.

Econ-

Econtrà, *Magiſtratus impiè viventes ideoq́ Subditos offendentes, omnem amittũt exiſtimationem, & ab infimæ ſortis hominibus contemnuntur, nec non ſæpenumero ab omni dignitatis gradu & officio removentur, fato illorum parentum, qui liberorum, à ſe offenſorum vitæ turpitudine, deſpectui expoſiti ſunt.*

EXEMPLA SACRA.

Noach bibens de vino vineæ, quam plantavit ipſe, inebriatus eſt: retexitq́; ſe in medio tentorii ſui. Quæ res Chamum filium graviſſimè offendit, plus ſatis tamen; accedente ejus ſingulari malitiâ: non enim texit nuditatem patris ſui, quod ingenuum decebat filium, ſed eâ conſpectâ reliquos fratres ſuos accerſivit, ad augendam patris ignominiam. *Gen. cap. 9.*

Davidi, adulterio cum homicidio nefario conjuncto, & Subditos & hoſtes offendenti illisq́ue danti occaſionem irritandi contemtim Jehovam, denuntiat Deus futurum, ut non tantùm filiolus, ipſi ex adulterio natus, moriatur, ſed etiam ipſe à Subditis, imò à do-

meſticis, etiam filiis ſuis, ignominiæ ſummæ exponatur, atq; in extremum periculum conjiciatur. Cui comminationi triſtis eventus reſpondit. *2. Sam. 12. & ſeqq.*

Salomon antequam cœpiſſet a iis ſcãdalo eſſe, etiam exteris admirationi fuit: ſic ut Regina Scheba, auditâ famâ de eo, inviſerit eum, ſapientiam ejus probans, gloriamque perluſtrans. Multarum autem fœminarum exterarum conſortio corruptus, & in idololatriam lapſus, Dei iram ita provocat, ut ei interminetur lacerationem regni: duos hoſtes excitet: & Jarobeamum ſucceſſorem majoris partis regni præſignificet. Unde factum eſt, ut Jarobeam Salomonem non tantùm contemſerit, ſed etiam indeſinenter ei ſeſe oppoſuerit hoſtiliter. *1. Reg. cap. 11.*

EXEMP. PROFANA.

Appius Claudius Decemvir, Virginiam puellam plebejam, ſed formâ excellentem (quam Virginius pater L. Icilio tribunitio viro, & expertæ virtutis homini deſponderat) per vim ſtuprare

prare conatus eſt, quum nec precio, nec ſpe poſſet allicere. Quæ fuit cauſa abrogandi magiſtratus Decemvirorũ: quemadmodum reges priùs ob ſtupratam Lucretiam ejecti fuerant. *Livius, & Cicero lib. 2. de Finibus.*

Cn. Manlium & *Servilium Cepionem* proconſules, quòd ipſorum temeritate clades ingẽs accepta fuiſſet, & à Cimbris cæſi & caſtris exuti eſſent, abrogato imperio ante tempus finiti honoris, Senatus magiſtratu abire, & inſignia imperii dimittere coëgit. *Alexand. li. 4. cap. 6.*

Quidam Florentiæ princeps, cùm ob traditas Carolo VIII. Regi Galliæ Hetruriæ arces, rebellantis populi odio furorique cedere, atque urbe profugere cogeretur, uſq; adeo familię illius nomen cunctis invidioſum eſſe cœpit, ut Laurentius atque Johannes, qui apud Galliæ regẽ tanquam exules fuerant, principis expulſi gentiles, ut libertatis tuẽdæ ſtudium oſtenderẽt, è marmoreis antiquę domus inſignibus nonnihil deterſerint, ſubſtitutaq; cãdi-

da cruce,ut in aliam familiã tranſeuntibus mos eſt,Populani,abdicato veteri nomine appellari maluerint. *Jovius lib.1.Hiſt.*

Porrò, *Si Magiſtratus honorem ſibi debitum à Subditis deferri velint, cavere debent ne nimiam cum Subditis familiaritatem exerceant, ſed ab omni ſcurrilitate alieni ſint, medium inter hanc & ſuperbiam probè obſervantes.* Superbia namq; odium, ſcurrilitas contemtum, media verò inter utramque morum gravitas cõveniens gratiam & reverentiam erga magiſtratus parit in animis Subditorum.

Exempla Scurrilitatis Magiſtratuum.

Clitophus *Philippo* Macedonum regi jacienti in ipſum ſcommata, & admodum hilari: Ego poſthac, inquit, te non alam. Lepidè invertens rem. nam reges in hoc alunt paraſitos,ut illorum dictis exhilarentur. Quòd ſi ipſi reges inter ſe norint ludere, & in alios ridicula dicere, nihil opus ſit paraſitis, quum ipſi norint paraſitos agere,alioqui paraſiti magis aluntreges, quàm

reges paraſitos. Quanquam Plutarchus in Sympoſiacis ita refert, ὐκ ἐγώ σε τρέφω, Non ego te alo: notans regẽ, quod verſâ rerum vice, pro rege ageret morionem. Tu me alis, ut ridiculis dictis te exhilarem, non ego te. *Eraſm. 6. Apoph.*

Veſpaſianus Imp. & ſuper cœnã & ſemꝑ aliàs comis nimiũ, multa joco tranſigebat. Erat enim dicacitatis plurimę & ſic ſcurrilis ac ſordidę, ut ne prætextatis quidem verbis abſtineret. *Suet.*

L. Anitius Rom. dux, qui captivum duxit Gentium Illyriorum regem, res omnes riſu dignas fecit, ut aſſerit *lib. 30. Polybius.* Nam cùm omnes celeberrimos artifices ex Græcia convocaſſet, ſcenamq; ampliſſimam in circo paraviſſet, omnes tibicines ſimul priùs introduxit. Erant autem hi, Theodorus Bœotius, Theopompus, Hermippus, Lyſimachus, qui erãt celeberrimi. Hos cùm ad proſçenium conſtituiſſet, juſſit ut omnes ſimul çum choro tibias inflarent. Verùm ubi ex ſaltatoribus quidam præcinctus manus extulit ad pu-

gnam in adverſum tibicinem, non exiguus ortus eſt plauſus & clamor ſpectantium. Cùm certarēt adhuc ii quaſi ex inſtructa acie, duo ſaltatores in Orcheſtrā cum concentu iutroducti ſunt, tum pugiles quatuor cum buccinatoribus ac cymbaliſtis ſcenam aſcenderunt: quibus omnibus inter ſe certantibus, explicari nullo modo poſſet id, quod accidebat. *Athenæus lib. 14. cap. 3.*

M. Tul. Cicero in jocis nimius fuit, adeò ut à Vatinio conſularis ſcurra fuerit appellatus. *Macrob. li. 2. Saturn. cap. 1.* De eo ſic *Plut. in Vitis:* Cicero dicacitate ſubinde ad ſcurrilitatem devolutus, & negotiis perquàm ſeriis riſu jocoq; in judiciis illudens, ut cauſæ prodeſſet, neglexit decorum. Ut in oratione pro Cælio: Non eſſe mirum, ſi in tanto ille luxu & deliciis ad voluptates dediſſet ſe. Nam non frui iis quæ in promptu ſunt, dementiam eſſe: pręcipuè cùm in voluptate ſummū bonum ponant clariſſimi philoſophi. Ferunt eum, cùm conſul Murænam, qui accuſabatur à Catone, defenderet, multum ex Perſona

ſona Catonis deriſiſſe Stoicæ ſectæ abſurda & nova præcepta. Cùm magnús inde riſus à corona ad ipſos perlatus judices eſſet, ſubridentem Catonem ad conſeſſum dixiſſe: Dii boni, quàm ridiculum conſulem habemus.

L. Corn. Syllam ita perhibēt dicacem naturâ fuiſſe, ut juvenis etiamnum & nondum celebris cum mimis viveret & ſcurris, ſociumq; ſe iis in omni protervia præberet: atq; cùm eſſet rerum potitus, ſcenicorum & hiſtrionum impudentiſſimis quibusque coactis, præter ætatem & imperii majeſtatem, potaret quotidie cum eis, dicteriisq; digladiaretur: cùm multa interim poſthaberet gravia negotia. Neq; enim inter cœnandum Sylla rei ulli vacabat feriæ: ſed qui aliàs negocioſus eſſet & triſtior, ut primùm contulit ad convivium ſe vel ad compotationem, repentè invertebat ſe, nimisque & ſaltatoribus tractabilis erat, & aditu promtus atq; deditus. *Plut. in Sylla.*

EXEMPLA SUPERBIAE.

Pauſanias Lacedæmoniorum dux

ad Platæas victor contra Mardonium, cùm de manubiis tripodem auream Delphis votum ſolviſſet, ſuumque nomen inſcriberet: Lacædæmonii pertæſi inſolentiam, epigramma induxerunt, & civitatum nomina inſcripſerunt. *Herodotus.*

Cùm aliquando Sertorium *L. Metellus* in Hiſpania acie fudiſſet, uſq; adeò extulit ſe, & proſpero caſu exultavit, ut imperatorem ſe ſit ſalutari paſſus, ſacrificiis autem eum oppida ingredientem atque aris ei dicatis exciperent. Memorant eum coronas quoq; imponi capiti ſuo permiſiſſe, cœniſque indulſiſſe faſtuoſioribus, in quibus veſte triumphali amictus potabat. Victoriæ fictæ epidromibus deſcendebant, quæ aurea trophæa & coronas transferebant. Chori puerorum & virginũ cantilenas triumphales in laudem ejus canebant. Qua in re ridiculus meritò erat: quòd cum Syllæ fugitivum & reliquias Carbonianorum exulũ appellaret Sertorium, ita jactabundus evaſerit exultaveritque quia impulerat ceden-

cedentem. *Plutarchus in Sertorio.*

Julianus Imperat. quinquennalia edens, ambitioſo diademate uſus eſt, gemmarum fulgore diſtincto, cùm initio principatus coronam vilem Zytharchę purpurato ſimilis geſtare conſueviſſet: & ſe Conſtantii hoſtem apertè profiteri cepit. *Sigonius lib.6. Imp. occid.*

Maximinus Junior in ſalutationibus ſuperbiſſimus erat, & genua ſibi oſculari patiebatur, nonnunquam etiam pedes, quod nũquam paſſus eſt ſenior Maximinus, qui dicebat: Dii prohibeant, ut quiſquam ingenuorum pedibus meis oſculum figat. Cùm pater pleriſque honoratis aſſurgeret, ille reſidebat. Uſus eſt & aurea lorica exemplo Ptolemæorum, uſus eſt argentea, uſus & clypeo gemmato inaurato, & haſtâ inauratâ. Fecit & ſpatas argenteas, fecit etiam aureas, & omnino quicquid ejus pulchritudinem poſſet juvare. Fecit & galeas gemmatas, fecit & bucculas. *Capitolinus in Maximino Juniore.*

EXEM-

EXEMPLA GRAVITATIS SEU moderationis Magiſtratuum in utraque fortuna quam vocant.

Neque ridentem neque plorantem quisquam Atheniēſium temerè Phocionem vidit, neque in balneo publico lavantem, ut tradit Duris: neq; extra pallium, cùm amictus eſſet, manum ejus exertam. *Plut. in Phocione.*

Q. Sertorium ducem fortiſſimū perhibent, neque lætitiæ neq; timori patuiſſe, in utraq; pariter fortuna eodem habitu ſemper conſtitiſſe. *Plutarchus.*

Scribit Sex. Aurelius, *M. Antoninum* Imperatorem à vitæ initio tranquillum fuiſſe adeò, ut ab infantia vultum nec gladio mutarit, nec mœrore, philoſophiæ ſtudens ac literis imbutus Græcis. *Cælius lib. 23. c. 24. A. L.*

Henricus VII. Imperator eâ fuit animi tranquillitate, ut nullâ unquam proſperitate efferretur, nullâ dejiceretur adverſitate, quanquam plures quotidie experiretur adverſitates. *Cuſpinianus.*

Alphon-

Alphonſus Aragonum Rex, ob magnas inſperataſque victorias nunquam omnino mutatus dicitur, cui in omni fortuna vultus idem, idem habitus, ſermo idem fuit. *Panormit. lib. 4.*

Matthæus Magnus Vicecomes, ita corpus pariter atq; animum exercuit, ut utrunq; viriliter adverſus rerum omnium contumelias indomitum, invictumque voluptatibus præſtaret, & duris atq; aſperis gaudere, nec adverſis unquam frangi, nec ſecundis efferri videretur: quòd nihil unquam aut demiſſum aut inſolens ore geſtuq; ejus excideret, præaltaque ſemper atq; ardua ad imperium & gloriam intentus agitaret. *Jovius in ejus vita.*

CAPUT. III.

DE JUDICIO AEQUO EXcitante obedientiam Subditorum Magiſtratibus debitam.

UT promta ſit Subditorum obedientia, neceſſe eſt Magiſtratum æ-

quum exercere judicium, quo unicuique ſuum, ſeu præmium, ſeu pœna adjudicatur, lege quidem juſtitiæ, quæ unicuiq; ſuum tribuit.

Judicium hocce exercetur tum *verbis*, tum *factis*.

Verbis quidem I. *quando Magiſtratus legum ac mandatorũ promulgatione Subditis ſuis auctores ſunt pietatis, probitatis, & honeſtatis, nec non pœnitentiæ & orationis, annexis partim promiſſionibus erga obedientes, partim comminationibus adverſus immorigeros & contumaces.*

EXEMPLA.

Joſaphat componens faciem ſuam ad quærendum Jehovam, indixit jejunium toti Jehudæ. Itaque congregati ſunt Judæi ad requirendum opem à Jehova: etiam ex omnibus civitatibus Jehudæ convenerunt ad requirendum Jehovam.

Ezechias ipſe vivâ voce populũ ſuum ad ἀφοβίαν & conſtantiam hortatur, inquiens: *Confirmamini & fortes eſtote, neq; timetote, neq; conſternamini metu regis Aſſyriæ, & metu totius multitudinis quæ*

eſt

eſt cum eo: nam nobiſcum major eſt, quàm cum eo. Cum eo eſt brachium carneum, nobiſcum verò Jehova Deus noſter ad auxiliandum nobis & ad gerendum bella noſtra. Sicque innixi ſunt populus verbis Ezechiæ regis Jehudæ. *2. Chron. cap. 32. verſ. 7, 8.*

Rex Nineuitarum ſubditis & exemplo & mandato ſuo promulgato autor eſt reſipiſcentiæ, dicens: *homines & jumenta, armẽta & greges ne guſtanto quidquam, ne paſcuntor, & aquas ne bibunto: ſed operiunto ſe ciliciis homines cum jumentis, & inclamanto Deum fortiter: ac revertuntor quiſq; à via ſua peſſima, & ab ipſa violentia quæ ineſt manibus ipſorum. Quis ſcit an reverſurus ſit, & pæniteat Deum: ut reverſo eo ab æſtu iræ ſuæ non pereamus?* Jon. cap. 3. verſ. 7, 8, 9.

Cæterùm, *non tantùm infimæ ſortis ſubditi, ſed etiam inferiores & ſubordinati magiſtratus à ſummo magiſtratu admonendi ſunt officii.*

EXEMPLUM.

Joſaphat ordinem politicum in regno toto recognoſcens, judices ſuos

ita alloquitur: *Videte quid ſitis facturi, non enim pro homine judicaturi eſtis, ſed pro Jehova: qui vobiſcum futurus eſt in rebus judiciariis. Quare nunc inſit pavor, Jehovæ vobis: obſervate & facite, non enim eſt apud Jehovam Deum noſtrum iniquitas, aut acceptio perſonarum, aut ſumtio muneris.*

Quæſtio hîc incidit:

Num mandatis Magiſtratuum idololatricis aut alioqui profanis obtemperandum ſit, nec'ne?

Reſp. Deo præcipiente, non parendum eſt magiſtratui prohibenti: rurſus; Deo prohibente, nõ obtemperandum eſt magiſtratui præcipienti.

Exempla.

Nebucadnetzare, ſtatuæ ampliſſimæ divinos honores jubente exhiberi, *tres Danielis ſocii*, qui conventui intererãt, recuſant pollui idololatriâ: quamobrem apud regé accuſati fidem ſuam in Deum teſtantur, quem neque vitæ pretio abnegare velint, neque metu mortis: conjecti in fornacem ſervantur à

tur à Deo incolumes, & à rege coram omnibus revocantur: qui hoc ſigno edoctus Deo gloriam cedit, cavet, ne ipſius nomen blaſphemetur, & illos evehit. *Dan. cap. 3.*

Nota. *Deus fidelibus impia tyrannorum mandata magno, modeſto tamen, animo contemnentibus benedicit, uſus ſæpenumero ipſorummet tyrannorum operâ, vel miniſterio.*

Daniel à Dario Medo in dignitatem evectus, ampliusque evehendus, regis conſilio, à proceribus obſervatur; qui fruſtrà occaſione captatâ illius obruendi, comminiſcuntur edictum, ut ſoli Regi ad tempus ſupplicetur: Huic edicto quum non paruiſſet Daniel, urgentibus quidem proceribus, leonibus obtruditur, at ſervatur à Deo: quamobrem Darius educto Daniele accuſatores leonibus obijcit, & promulgat edictum de reverentia Dei. *Dan. cap. 6.*

Primoribus Judæorum, Senioribus, Scribis & Sacerdotibus denuntiantibus *Petro* & *Johanni*, ne omnino loquerentur vel docerent in nomine Jeſu,

Apoſtoli reſpondentes dixerunt eis, *An apud Deum juſtum ſit, vobis potiùs auſcultare quàm Deo, judicate.*

Quæſtio alia:

An etiam Subditorum ſit, quidquam Magiſtratui præſcribere, eumq; in ordinem redigere?

Reſp. Omnino Subditorum eſt magiſtratũ vel à pernicioſo propoſito modeſtè dehortari, vel à veritatis & honeſtatis via aberrantem placidè revocare: quod ni faciant Subditi, ipſis unà cum magiſtratu pereundum eſt. Ipſius quinetiam magiſtratus eſt, paternas ejuſmodi admonitiones boni conſulere.

Exempla Profana.

Arte Judæorum circumvētus *Theodoſius Junior Imper.* Antiochenis mandarat, ut Judæis ademtas ſynagogas reſtituerent. Sed eremita celebris eo tempore Symeones, ad Imperatorem literas miſit, ne tantopere crucifixoribus Chriſti indulgeret, néve Chriſtianos ad tam impia permittenda cogeret.

ret. Theodoſius ergo edictum illico retractavit. *Evagrius lib. 1. cap. 13.*

Egdarus Britanniæ rex, cùm virginem deperiret, quam in Vinceſtrenſi monaſterio viderat educari: quæ ut virginitatem à regis iniuria tueretur, velo unius ipſius monaſterii monacharum ſe texerat: neque ob id ab injuria rex deſtitiſſet: profectus ad eum Dunſtanus Cantuarienſis archiepiſcopus, porrigentē in congreſſu dextram ſuam honoris gratiâ, regem à contactu repulit, tanquam propter inceſtum indignus eſſet qui ſacerdotem contingeret. Egdarus agnito errore, ad ſacerdotis pedes proſtratus veniam petiit: & cùm pœnæ loco eī, ut à geſtando diademate VII. annos abſtineret, injunctum eſſet, obedienter abſtinuit. *Fulg. lib. 1. cap. 1.*

His accedunt

Exempla Sacra.

Nathan à Deo miſſus, propoſitâ *Davidi* parabolâ quid juris eſſet expiſcatus, eum ad facti ſui conſcientiam revocat, & reſipiſcenti veniam pronun-

tiat,caſtigationibus conjunctã. *2. Sam. cap. 12.*

Saul divinitus juſſus Amalekitas penitus exſcindere, leniùs quàm pro mandato cum eis agit. Reverſus cum præda ſententiã rejectionis à Samuele auditam boni conſulit, hanc nimirum: *Quare nõ auſcultaſti voci Jehovæ, ſed contendens ad prædam, feciſti quod malum videtur in oculis Jehovæ?* Et quum accepiſſet populus de præda adducta greges & armenta præſtantiſſimum illius anathematis; ad ſacrificandum Jehovæ, dixit Samuel: *an delectatur Jehova holocauſtis & ſacrificiis, ut quum auſcultatur voci Jehovæ? ecce auſcultare eſt melius ſacrificio; attendere, adipe arietum. Quin ſicut peccatum divinationis eſt rebellio, & ſicut ſuperſtitio & idola eſt repugnantia: quia ſpreviſti verbum Jehovæ, ſprevit ſimiliter te ne ſis rex,* 1. Sam. ca. 15.

Jeſajas Propheta à Deo miſſus non dubitat *Ezechiæ* regi præparationem ad mortem præcipere, dicens ei: *Sic ait Jehova; da præcepta familiæ tuæ, nam tu brevi moriturus es, ac non vives.* Rex

Prophe-

Prophetæ ſeſe non opponit , ſed ad Deum piis precibus converſus longiora vitæ ſpatia ſibi concedi humiliter orat. *2. Reg. cap. 20. Jeſa. 38.*

Oritur inde dubium.

Num ex iſtis adductis exemplis colligendum ſit, Eccleſiaſticos ſeu Spirituales, quos vocant, plenam poteſtatem Magiſtratui politico imperandi, præſcribendi ac prohibendi à Deo accepiſſe, ideoq; à jure ſubjectionis exemtos eſſe?

Solutio.

Acceperunt quidem Miniſtri Spiritus, velut ſucceſſores Prophetarum & Apoſtolorum, à Deo miniſterium ſeu munus annunciandi præcepta & ſtatuta divina, poteſtatem verò imperandi ſeu dominandi non acceperunt, & meritò inter Subditos recēſendi ſunt, etiamſi à publicis oneribus nonnullis alieni ac liberi pronuncientur.

Imò ab hac ſubjectione nemo eſt exemtus, etiamſi Apoſtolus, etiamſi Evangeliſta, etiamſi Propheta ſit. Huc pertinēt verba Chriſti, diſcipulos ſuos ita alloquentis: *Scitis principes Gentium*

in eas dominari, & qui magni ſunt, licẽtiâ uti in eas. Verùm non ita erit inter vos: ſed quicunque voluerit inter vos magnus fieri, ſit veſter miniſter. Et quicunque voluerit inter vos primus eſſe, ſit veſter ſervus. Matt. cap. 20. verſ. 25, 26.

Eccleſiaſtici proinde omnes debent ſubjecti eſſe Magiſtratui ſeculari, *primò* quidem quoad externum & civile dominium:

1. Quis illis Deus id mãdavit. Rom. 13. v. 1. *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubjecta eſto.*

Proinde politica poteſtas Magiſtratus in Eccleſiaſticos eſt juris divini, non autem humani, nec conſuetudinarii.

2. Quia Sacerdotes in Veteri Teſtamento fuerunt ſubjecti regibus.

3. Quia Chriſtus ipſe & Apoſtoli, & pii Epiſcopi ſucceſſores ipſorum ſubjecti fuerunt in temporalibus Magiſtratui ſeculari. Chriſtus cenſum ſolvit Cęſari, judicatus eſt coram Pilato, Paulus Apoſtolus coram Feſto, Felice, Nerone Imperatore: & Paulus à Feſto præ-

ſide

ſide non appellavit ad Petrum Apoſtolorum principem, ſed ad Neronem Imperatorem. Auguſtinus ſubjectum ſe fatetur, *Expoſit. ad Roman. nume. 72.* Polycarpus Smyrnenſis, Euſebius *Hiſtor. Eccleſ. lib. 4. cap. 15.*

Secundò ſubjecti eſſe debent in omnibus, quæ reges in Eccleſiaſtico ordine conſtituerunt ſecundùm voluntatem Dei, ſive ceremonias, ſive decorum externum, ſive res indifferentes ſpectemus, ſicut *Sacerdotes & Levitæ* fuerũt ſubjecti ordini illi quem David conſtituerat, & poſtea confirmavit Salamõ, revocavit in uſum Ezechias & Joſias.

Talis primatus in Eccleſia datus eſt à Deo piis Regibus & Principibus & Magiſtratibus ac proinde primatum habent in ſuis ditionibus, tum quoad regimen corporale, tum quoad curam religionis & cultus Dei, ut docet exemplum *Moſis, Joſuæ, Davidis* &c.

Proinde quotquot Eccleſiaſticorum ſeu Spiritualium titulo gaudentes, ſubjectionem Magiſtratui politico debitã

denegant, ii voluntati Dei reſiſtunt.

Hactenus fuit primus modus, verbis exercendi judicium, ſecundus nunc ſequitur.

II. Verbis, (magis propriè loquendo) judicium exercent Magiſtratus, quando jus dicunt Subditis, hoc eſt, innocentem à calumniis & injuriis adverſarii iniqui liberant ac juſtum pronunciant, & econtra reum accuſant, injuſtumq; declarant, ſententiâ definitivâ, quam vocāt. Idq; citra omnem προσωποληψίαν.

EXEMPLA SACRA.

Samuel Judex Iſraëlitarum circumibat Bethel, Galgata & Maſphat, ut facilem omnibus ad ſe veniēdi poteſtatem faceret. Pro populo aſſiduè Deum precabatur. Iſraelem ita judicabat, ut quum ſe morti vicinum ſentiret, liberè populo dicere potuerit: *Ecce me, teſtificamini contra me coram Jehova & coram uncto ejus, cujus bovem acceperim, aut cujus aſinum acceperim, aut quem fraudaverim, aut quem concuſſerim, aut è cujus manu ac-*

nu acceperim redemtionis pretium, ut abderẽ oculos meos propter illud; & reddam vobis.1.Sam.cap.7.& 12.

Exemplum contrarium occurrit *Jeſa. cap.1. v.23.* Ubi Propheta ſceleſtam optimatum populi Judaici vitam reprehendens ait: *Principes tui contumaces & ſocii furum, unusquisq; amat munus, & ſectatur retributiones: pupillo non dicunt jus, & cauſa viduæ non pervenit ad eos.* Et rurſus ibidem monet eos: *Diſcite* inquiens *benefacere, quærite jus, beate oppreſſum; jus dicite pupillo, ſuſcipite cauſam viduæ.*

EXEMPLA PROFANA.

Lacedæmonii, eos quos mortis ſupplicio dignos putarent, noctu, nõ die plectere conſueverunt. Cauſas verò judices occluſi, neminemq; videntes, judicabant, ne objecta ſanum judicium impedirent. *Alex. ab Alex. lib.3.cap.5.*

Prætores ac Judices publicarum quæſtionum aliis imperium illud mandare non poterant: nec in judicando legis acerbitati aut lenitati detrahere, aut addere quicquam, ſed uno verbo, imò

unâ literâ ſententiam ferebant, puta *A.C.N.L. Abſolvo, Condemno, Non liquet:* idq; factum eſt, ne ab hominis cujuſquam, ſed ab ipſius legis arbitrio fama, vita, mors, fortunæ, denique civium penderent. *Bodinus Meth. hiſt. c. 6.*

Nota.

Cæterùm, priuſquàm judices ſententiam, definitivam enuncient atque promulgent jus quod dixerunt litigantibus, oportet ut audito non tantùm accuſatore, ſed etiam reo, cauſam probè cognoſcant atque perpendant.

EXEMPLA SACRA.

Iſraëlitæ conventu indicto Binjaminitas, concubinam Levitæ violantes & enecantes, citant, auditâ Levitæ accuſatione; ac reos, ſibi à Binjaminitis traditos, audire parati erant. Verùm tandem in contumaces bellum decernere coguntur. *Judic. cap. 20.*

Salomon in judicio litigantium inter ſe mulierum, antequam ſententiam ferat, utramq; priùs attentè benevoleque audit. *1. Reg. cap. 3.*

Exem-

Exemplum contrarium: Saul verbis cujuſdam dicentis; *Ecce David quærit malum tuum:* auſcultavit ac fidem habuit, indeq́; Davidem perſequutus eſt, iſto nondum audito, nedum convicto vel condemnato. Quemadmodum David, illi exprobrat, annexâ excuſatione ſui juſtiſſimâ. *1. Sam. 24.*

Sic David ipſe à famulo Mephiboſeti deceptus, herilia bona famulo addicit, antequam audiret dominum, qui iniquè à puero ſuo traductus erat apud Davidem. *2. Sam. cap. 16.*

EXEMPLA PROFANA.

Anaxandridas cuidam ab eo ſciſcitanti, Quamobrem ſeniores apud Lacedæmonios plures dies ſumerent ad cognoſcendū in cauſis capitalibus, & ſi quis fuerit abſolutus, nihil minùs ſit obnoxius legi? *Ideò,* inquit, *pluribus diebus cognoſcunt, quoniam ſi in capitis diſcrimine erraverint, non eſt corrigendi conſilii poteſtas. Oportet autem à cauſa liberatū, obnoxium manere legibus: quod fieri poteſt, ut ſecundùm eandem legem liceat, aliquid*

rectiùs de reo ſtatuere. Hoc temperamento proviſum eſt, ne vel occidatur innocens, vel effugiat nocens, qui quamvis errore judicum ſit abſolutus, poteſt eadem lege denuò conveniri, pœnasque dare legibus. *Plut. in Lacon. apophth.*

Alexander Magnus initiò cum judicia capitalia diſceptaret, fama tenet, manum cum alteri auri, dum diceret accuſator, admovere ſolitum: reo ut alteram integram & intactam ſervaret à calumniis. *Plut. in Alexandro.*

III. Quum magiſtratus virtutes & res à Subditis bene geſtas collaudant, ſicq; animum illis ſtudium benè cœptum continuandi, aut etiam majora tentandi, addunt.

EXEMPLA SACRA.

Cùm David *Saulem* eviciſſet in juſtitiæ, cœpit hic teſtimonium innocentię Davidis perhibere dicens ei: *Juſtior es me: nam tu rependis mihi bonum, quum ego affecerim te malo. Tu enim indicaſti hodie, te afficere me bono; qui quamvis dederit me Jehova in manum tuam, tamen non occidiſti me.* 1. Sam. cap. 24. v. 18, 19.

Centurio Capernaiticus honeſtè pronun-

nuntiat de Subditis ſuis, commēdans eorū obedientiam, hiſce quidē verbis: *Ego ſum homo, ſub poteſtate conſtitutus, & habeo ſub me milites: & dico huic, Proficiſcere, & proficiſcitur: & alteri, Veni; & venit: & ſervo meo, Fac hoc, & facit.*

EXEMPLA PROFANA

Octavius Cæſar, qui in gratiam Antonii Ciceronem proſcripſerat, cùm longo pòſt tempore ad quendam ex filia nepotem acceſſiſſet: ille autē, quòd volumen quoddam Ciceronis manibus teneret, conſternatus id veſte contexiſſet: Cæſar qui animadverterat, ſumſit volumē, & ſtans magna ex parte evolvit, reddidit inde puero, ac dixit: Doctus hic vir, fili, doctus fuit, & patriæ amans. *Plut. in Cicerone.*

Imperator Ferdinandus Joannem Cratonem Medicū clariſſ. in prandio multis aſtantibus, & præſertim clariſſimis Medicis, Julio Alexandrino, Stephano Laureo Amorfortio, & Joanne Nævio, Principis Saxoniæ archiatro, qui unà cum ſuperioribus valetudinis Cæſaris curam gerebat, interrogavit num

de facie *CON. Geſnerum, Medicum Tigurinum* noſſet? Negabat ille aliter ac ex literis,& certorum hominum ſermonibus cognitū. Cui Cæſar, *credas*, inquit, *Geſnerus eſt tota probitas.* Joſias Simlerus *in vita Geſneri.*

Gordianus Imp. expeditione Perſicâ feliciter confectâ, omnia Senatui perſcripſit, eaq; *Miſitheo* viro doctiſſimo ac eloquentiſſimo (qui idem Timeſſocles dicebatur, vir modeſtus & frugi) præfecto & ſocero accepta retulit. Ob quę & Senatus diis ſupplicationes, Gordiano triumphū decrevit, & Miſitheo currum triumphalem, & titulum magnorum honorum, cum iis verbis: *Miſitheo eminenti viro, parenti principum, prætori totius orbis, tutori Reip. S. P. Q. R. vicem reddit.* Cuſpinianus.

IV. Quando Subditornm vitia atq; delicta reprehendunt, quidq; illi peccatis ſuis meruerint, ſimul indicant.

EXEMPLA.

Themiſtocles, ut in ipſius vita refert *Plutarchus*, cuidam exprobrans ignaviam dixit: ἦ γὰρ καὶ ὑμῖν περὶ πολέμου τίς

ἐστ

ἐστὶ λόγος, οἳ καθάπερ αἱ τευθίδες μάχαιραν μὲν ἔχετε, καρδίαν δὲ οὐκ ἔχετε. id eſt, *Sanè*,inquit,*& vobis aliquid de bello dicẽdum eſt,qui Teuthidum in morem gladium quidem habetis,cor autẽ non habetis.* Quidam *Teuthidas* putant eſſe, quas nos vocamus ſepias. *Sepia* autem de genere mollium eſt, & arbitror huic generi cor non ineſſe. *Eraſm. in Adagiis.*

Cùm Phocionis F. Phocus ad Athenienſes verba faceret pro concione,reprehendens quandam in ipſis ingratitudinem, doctiſſimè & ſubiratâ voce dixit: *Malo damnum à vobis accipere, quàm ipſe vobis damnum dare.* Ael. lib.2. Var. hiſt.

C. Caligula in ſua illa,ludicra alioqui expeditione Germanica abſentem Senatum populumq́ue graviſſimo objurgavit edicto, quod Cæſare præliante, & tantis criminibus objecto,intempeſtiva convivia, Circum & Theatra, & amœnos ſeceſſus celebrarent. *Suetonius in Caligula.*

Hactenus de judicio verbis exercendo dictum eſt: ſequitur judicium factis exercendum ſeu ejuſdem exſequutio.

Magiſtratus vel Judices factis judiciū exercent duob. potiſſimùm modis.

MODUS PRIOR.

Quum innocentes, juſtos ac bonos, quos verè tales eſſe cognoverũt, tuentur, defendunt, cuſtodiunt atq; juvant.

EXEMPLA.

Socrates Athenienſis, licet ejus poteſtatis eſſet, cujus arbitrio plebiſcita ordinarentur, X. Prætores, qui apud Arginuſas Lacedæmoniam claſſem delcverant, capite damnare recuſavit: indignum judicans, tot ac tam benè meritos, ex indigna cauſa impetu invidiæ abripi. *Valerius maximus lib. 3. cap. 3.*

Cùm Theſſalorum negotiatores è Syriis nonnulli violaſſent, ſuáque propriâ mercede ſpoliaviſſent: re delata ad Amphictyonas, tota reſpublica Syriorum damni injuriæ nomine multata eſt. Sed huic judicio *Populus Athenienſis* obſequi noluit: quia delicti pœnam & culpâ in auctores, non in commune

mune judicaret reijci oportere. Publicam enim cauſam à privatorum culpa ſegregandam : & ſi in civitate à multitudine peccatum eſt, non protinus bonis aliisq; innoxiis imputandum eſſe. *P. Aerodius ex Plut. Cimone.*

Mercator quidam pontem tranſiens, plauſtrum cum mercibus caſu ſubverterat. *Præfectus* defert rem ad *Joannem Danum, Archiepiſcopum Bremẽſem*, quaſi naufragium: merces enim tetigiſſe terram, & ideò cecidiſſe in commiſſum, ut confiſcarentur. Recuſavit Archiepiſcopus, increpans præfectum, quòd pontium curam non haberet : nihil peccaſſe hominem, qui culpâ præfecti in calamitatẽ incidiſſet. *Cranzius lib. 8. Metrop. c. ultimo.*

Henricus II. cùm Italum ſervum in carcerem duci juſſiſſet, nõ adjectâ causâ, *Judices* hominem liberarunt, priùs tamen admonito rege. Rex juſſit illum condemnari, cùm religiosè ac ſanctè juraret, ſe hominem in ſcelere turpiſſimo deprehendiſſe, quòd evulgari nollet, ac judicibus ſuccenſeret, quòd ſibi

affirmanti fidem non haberent. Liberatus eſt tamen à judicibus, & carceribus ereptus : ſed poſtea juſſu regis in flumen Sequanam noctu demerſus, ne inſolentia facti populum perturbaret. Judices rectè fecerunt, nolentes inauditum condemnare nec punire. *Actum eſſe Meloduni, refert Joannes Bodinus in Methodo hiſt. cap. 6.*

Nota 1.

Graviter peccant Magiſtratus, quando injuſtæ accuſationi innocentium dant locum.

EXEMPLA.

Quidam] habentes puellam, à qua Paulus ejecerat Spiritum Pythonicum, accuſaverunt eum & Sylam ejus ſocium, quòd ipſi civitatem turbarent. Magiſtratus autem ſine aliqua probatione fecerunt Paulum & Sylam virgis cædi, & in carcerem tetrum mitti. *Act. 16.*

Judæi Cyrenenſes locupletiſſimi falsò à Jonathane ſicario accuſati, à Catullo præſide crudeliſſimo ad tria millia trucidantur.

Salo-

Salome Herodis regis ſoror, & *Pherora* ejus frater Alexandrum & Ariſtobulum Herodis ex Mariamme filios, falſis apud patrem calumniis deferre non ceſſarant, quaſi materne necis ulciſcendæ cupidi, patri inſidias ſtruerent. Primùm apud Auguſtum Romæ accuſati, ſeſe excuſarunt. Tandem variis calumniis circumventi, Antipatro fratre eas procurante, à patre ſecuri ſunt percuſſi. *Joſephus lib. 16. cap. 6. & ſequenti.*

Apud Saxones Anno M.D. mercator peregrè profectus, reliquit domi uxorem cum filia & ancilla. *Carnifex* ejus loci, viri abſentiâ animadversâ, clàm per cellã vinariam ingreſſus, noctu ancillam, quæ vinum pro cœna allatura eò deſcenderat, trucidavit. Illius moram ægrè ferens filia, ipſa quoque deſcendit, & à carnifice obtruncatur. Tandem & mater. Trina cadavera in cella vinaria ſepelit, totamque domum compilat. Mercatore reverſo, cùm de latrone non conſtaret, carnifex aſtutiſſimus magico vaticinandi

genere jam antè celebris, ipſum mercatorem propter inteſtinas cum uxore rixas, facinoris tam atrocis auctorem aſſerit. Mercator in vincula conjectus, tormentorum crudelitate victus, falsò latrocinium ſe commiſiſſe fatetur, rotaque plectitur innocens. Non multò pòſt carnifex argentea pocula, mercatoris ſymbolo notata vendit, & ſeipſum incautus prodit. Comprehenſus, ignitis forcipibus à toto populo in foro dilaniatur. *Johannes Paulus in Spudopædia.*

Nota. II.

Graviùs peccant: quando innocentes ac juſtos non defendunt nec liberant à periculo, etiamſi poſſint, ac debeant.

EXEMPLA SACRA.

Darius Rex Perſarum, licet innocentem ſciret eſſe Danielem, tamen urgẽtibus Satrapis, conjiciendum curavit in lacum leonum. *Dan. c. 6.*

Felix Præfectus Judææ, licet Paulus Apoſtolus ſe optimè excuſaſſet, voluit tamen gratiam præſtare Judæis, & Pau-

Paulum vinctum ſucceſſori ſuo Feſto dare. *Act. 23.*

EXEMPLA PROFANA.

Cicero Clodii Tribuni accuſatione preſſus, de necatis conjuratis, opem imploravit *Cn. Pompeii*: qui ex compoſito abſceſſerat, & ruri agebat in Albano ſuo. Primùm generum ad orandum eũ Piſonẽ allegavit, inde eſt ipſe quoq; profectus. Eo nunciato non ſuſtinuit in conſpectum ejus venire Pompejus. Mirum enim pudorem ei incuſſit vir ille, qui contentiones pro eo ſubierat maximas, multasque ſuas in repub. actiones ad ejus inſtituerat commodum. Verùm quod gener eſſet Cęſaris, huic inſtanti prodidit veteres neceſſitudines: ac ne cum eo colloqueretur, aliâ ſubduxit ſe januâ. Ita ab eo proditus & deſertus eſt Cicero. *Plutarchus in Cicerone.*

Legati Rom. miſſi in Africam ad Jugurthæ vim contra Adherbalem patruelem coërcẽdam, muneribus ab eo corrupti, optimam inſuper regni partem ei abdicarunt. *Sab. l. 1. En. 6.*

Nota III.

Omnium graviſſimè peccant Magiſtratus, cùm ipſimet occaſionem captant innocentes ac pios ex invidia alióve vitioſo affectu accuſandi, condemnandi, opprimendi.

Exempla.

Cùm *Achabus rex Iſraëlitarum* Nabothi Jezraelenſis vineam, ſuo palatio proximam, emere vellet, ut eâ pro viridario uteretur: neque Nabothus patrimonium ſuum vendere voluiſſet: *Jeſabel* Jezraelenſibus ſcripſit, uti indicto jejunio contra Nabothum in editiſſimo loco collocatum, duos falſos teſtes producerent, quaſi Deo regiq́; maledixiſſet, eumq́; lapidibus obruerent. Nabotho mortuo vineam invaſit Achabus. *1. Reg. 21.*

Mariamme regina pudiciſſima ab *Herode* falſis veneficii & adulterii accuſationibus damnata periit.

C. Caligula Imp. multos Romæ leviſſimas ob cauſas accuſavit atq; damnavit, nullam aliam ob cauſam, quàm ut ipſorũ facultates conſequeretur. Nam pecuniâ opus erat, poſteaquam theſauros

ſauros omnes ſuos exhauſiſſet. Nominatim *Junius Priſcus Prætor* à Caligula de quibuſdam rebus leviuſculis accuſatus & damnatus eſt, quòd locuples eſſet. *Xiphilinus*.

Dictum eſt de priori modo, quo Magiſtratus vel Judices factis exercent judicium; ſequitur

MODUS POSTERIOR.

Etſi longè gravius peccatum ſit innocentem unum punire, quàm ſontes & noxios plurimos impunè dimittere, ſtudiosè tamen cavendum eſt Magiſtratibus & judicibus ne indulgeant vel intempeſtivè parcant ſontibus noxiis've hominibus: in primis ne incurrant juſtam reprehenſionem, vulgari dicto enunciatam:

Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas.

CAUTIO.

I.

Sontes, noxii ac jure condemnati, à nemine fovendi ſunt.

Carolus Magnus in Synodo Durienſi, *cap.* 8. homicidas & alios facinoroſos, qui juxta leges capitali ſupplicio affi-

cīdi ſunt, ſi ad Eccleſiam confugiant, vetat excuſari, aut victu foveri.

II.

Neque defendendi ſunt ejuſmodi homines.

Auguſtus Cæſar amicos ita magnos & potentes in civitate eſſe voluit, ut tamen pari jure eſſent, quo cæteri, legibusq; judiciariis æquè tenerentur. Cùm Aſprenas Nonius, arctiùs ei junctus, cauſam veneficii, accuſante Caſſio Severò, diceret, conſuluit Senatum *Quid officii ſui putaret? cunctari enim ſe, ne ſi ſupereſſet, eripere legibus reum: ſin deeſſet, deſtituere ac prædamnare amicũ exiſtimaretur.* Et conſentientibus univerſis, ſedit in ſubſellis per aliquot horas: verùm tacitus, ac ne laudatione quidem judiciali datâ. *Suet.*

Papinianus Juriſconſultus, ne defenderet parricidiũ Antonini Caracallæ, interfici ſe permiſit: dignus profectò qui jus doceret, cùm tanta conſtantiâ magnitudineq; animi fuerit, ut ne quidem metu mortis adductus ſit, ut contra juſtitiã faceret. *Hiſtoriam habes apud Rotero-*

Roterodamum lib.8. Apophthegmatum, ex Spartiano, cujus verba repetit Volaterranus lib.18. Anthrop.

III.

Neq; liberandi ſunt ſontes & nocentes.

Frater Antigoni Marſyas litem habebat: ſed à rege poſtulabat, ut cauſa domi cognoſceretur. Cui *Antigonus: Si nihil,* inquit, *præter jus agimus, meliùs fiet in foro, cunctisq; audientibus.* Non impetravit hoc à rege fraternus affectus, ut vel tantillum de jure concederet. Ipſum autem hoc dilemmate conſtrinxit: *Si injuſtam cauſam habere te ſcis, cur litigas? ſin juſtam, cur fugis hominum conſcientiam, & ad domeſticas latebrás rem fori pertrahis? non cariturus ſiniſtrâ civium ſuſpicione, etiamſi bonam cáuſam viceris:* Plut. in regum Apophth.

Philippus Macedo, cum Harpalus prò propinquo & neceſſario Cratete injuriarum reo peteret, ſibi ut liceret multam inferre, & ille judicio liberaretur, ne probris proſcinderetur: *Satius eſt,* inquit, *hunc ipſum, quàm ejus causâ nos, malè audire.* Ibidem.

Catulus cenſor *Catonem* ſibi arctiſſimâ junctum neceſſitudine rogavit, ut quendã ipſius judicio obnoxium (erat enim quæſtor) miſſum faceret. Ille hũc in modum reſpondit: *Turpe eſt nos, qui juventuti rectè inſtituendæ auctores eſſe debemus, à lictoribus irrideri noſtris.* Negavit aſperiùs, quod injuſtè petebatur. *Plutarchus in Catonis vita.*

IIII.

Ita tamen puniendi ſunt ſcelere aliquo obſtricti, ne pœna immoderata vel nimia ſit.

Tyrannidis pœna nimia.

Roboamus propter tyrãnicas minas *à decem tribubus* deſeritur.

Græcis lege cavetur, ut tyrannorum filii, parentum crimina luant. *Alex. lib. 2. cap. 16.*

Majeſtatis læſa.

Tiberius Cæſar crimẽ læſæ majeſtatis atrociter adeò egit, ut conſulente Prætore, *An judicia Majeſtatis cogi juberet?* exercendas eſſe leges reſponderit, & atrociſſimè exercuerit. Statuę quidam Auguſti caput demſerat, ut alterius imponeret. Acta res in Senatu. Et quia ambi-

ambigebatur, per torméta quæſita eſt. Damnato reo, confeſtim hoc genus calumniæ eò proceſſit, ut hæc quoque capitalia eſſent: *circa Auguſti ſimulacrum ſervum ſediſſe: veſtem mutaſſe*: &c. *Suetonius*.

Cædis.

Charonæi injuſtè damnãt adoleſcentes pudicitiam ſuam defendentes.

Roſimunda Alboini Longobardorum regis uxor, patris mortem injuſtè ulciſcitur.

Latrocinii.

Verticillus, famoſus in Campania latro, quum exul præteriti maleficii veniam à Philiberto Aurantio Caroli V. Cæſaris exercitus Imp. impetraſſet, Cæſaris milites Neapoli à Gallis & Venetis obſeſſos, invecto multo pecore, mirificè adjuvit. Sed hic confecto demum bello ita inexpectatum ejus beneficii præmiũ tulit, ut à *Prætore* Capuæ, viro Hiſpano, &, ut plerunque fit, ejus ſpolijs inhiante, comprehenſus in furca ſuſpenderetur: juſta quidem veteris maleficii pœna, ſed omnino ini-

qua, ſi recentis publici beneficii memoria ſpectaretur; *Jovius lib. 26. Hiſtoriarum.*

Proditionis.

Mahometus cùm obſideret Conſtantinopolim, quidam Conſtantinopolitanorum civium *Conſtantino VIII. Imp.* infenſus, proditionem urbis magnâ vi auri, & unius filiarum Imperatoris nuptiis pactus eſt. Potitus urbe Mahometus, anno Salutis 1453. 4. Cal. Junii magnum auri pondus in medium afferri juſſit; & ad proditorem converſus: *Qui*, inquit, *filiam meam tibi uxorem cũ dote, (quæ præſens eſt) poſcis; cùm Chriſtianus ſis, cutem hanc exuas oportet; ut dignus Mahometicâ ſponsâ fias.* Adeſt carnifex, & excoriat hominem, inde cineres cum ſale calidos vulneribus inſerit, mox lecto cooperit, quaſi nova cutis ei hac ratione ſuccreſcere poſſet. Sic proditor nequiſſimus dignas perfidiæ pœnas à truculentiſſimo tyranno tulit. *Cuſpinianus in vita Conſtantini VIII. Imper.*

Aeris alieni pœna nimia.

Eſt hic mos apud *Moſcovitas* receptus, quòd omnes debitores, qui æs alienum conflaverunt, non habentes unde creditoribus reddant, ex legis præſcripto in locum certum & publicum ad id ordinatum ducuntur, *ibiq; à Servis Prætorianis flagris baculisq; per ſuras & crura pedum graviter absq; ulla miſericordia cæduntur, tam diu, donec undecunq; accipiendum ſit, creditoribus ſua reddere cogantur.* Quod ſi ſolvendo non ſufficiant, tunc verberibus multoties exagitati, creditoribus ſecundùm valorem debiti ſervire coguntur. *Guagninus in deſcriptione Moſcoviæ, cap. 4.*

Nota,

Qui nimiam pœnam, hominibus alioqui ſcelere aliquo obligatis, irrogando, modum excedunt, illi plerunque etiam erga improbos quoſdam & facinoroſos nimiùm officioſi ſunt, præmia videlicet, honores & id genus alia immerentibus concedentes.

EXEMPLA.

Cajus Cæſar turpiſſimos ac perditiſſi-

mos homines in curiam induxit: maluiſſet quidem honeſtiores,ſed per hos dicebat, ſuam ſe dignitatem recuperaſſe: ut oſtenderet, invitum quidem ſe facere, ſed tamen non poſſe excuſare,aut prætermittere. *Suetonius.*

In *Bacchi* feſto, ei qui plus bibiſſet, aurea corona dabatur: quam meritus eſt Xenocrates Chalcedonius,qui ſumtâ coronâ, cùm à cœna reverteretur, Mercurio (qui ſtabat ante fores) eam impoſuit,juxta priſcā conſuetudinem. *Aelian. lib. 2. de Varia hiſt.*

Tiberius Imp. in ipſa publicorum morum correptione cum *Pomponio Flacco,* & *L. Piſone* noctem, continuumq; biduum epulādo potandoq; conſumſit; quorum alteri *Syriam provinciam*, alteri *Præfecturam urbis* confeſtim detulit, codicillis quoque jucundiſſimos & omnium horarum amicos profeſſus. *Suetonius.*

Joannes Papa Raineræ ſcorto nobili aureas cruces & calices dedit. *Luitprandus lib. 6. cap. 6.*

Philippus Macedo Alexandrū regno

Epirotarum ſtupri causâ donavit.

Fur quidam à rege Aegypti *Rampſinito* ob aſtutiam ſuam, qua uſus fuerat tũ in theſauro regio ſpoliando, tum in eludenda filia regis, cui fratris abſciſſam manum pro ſua porrexerat, & vitæ impunitate donatus, & regis inſuper filiam uxorem accepit. *Herodotus lib. 2.*

V.

Peccant igitur Magiſtratus partim nimiam pœnam infligendo ſontibus: *partim* illis benefaciendo, *inter quæ duo extrema medium ſtudioſè obſervandum eſt, nempe* pœna juſta, *pro ratione* tum *delicti admiſſi*, tum *conſuetudinis quarumvis gentium, aliarumq; circumſtantiarum.*

POENA JUSTA TEmeritatis.

Apud *Romanos* ignominiæ causâ militibus audacioribus, qui nec animi nec conſilii ſatis haberent, vena ſolvebatur. Quæ non tam pœna, quàm medicina fuit, ut ſuperfluâ ſanguinis par-

te defluxâ,ſe magis intra gyrum rationis continerent. *Alexand. ab Alex. lib.2. cap.13.*

TIMIDITATIS.

Veneti, cùm Mahumetus Eubœam inſulam oppugnaret, *Nicolaum Canalem* Venetæ claſſis ducem, quòd præ ignavia obſeſſis opem nō tuliſſet, perpetuo exilio damnarūt: inutilem eum civem ducētes,qui pluris vitam,quàm *Christi* religionem,Patriæ honorem, & tam multorū civium ſalutem feciſſet. *Fulg. lib.2.c.2.*

L.Paulus Aemilius,eos,qui fortiter pugnando hoſtibus ſe oppoſuiſſent, aut turpiter fugam adornaſſent, Elephantis dilaniandos objecit. *Alex. ab Alex. lib. 2. cap.13.* & *Valerius Maximus lib.2. cap. 2.*

INTEMPERANTIAE.

Lucani, ut aliorum criminum,ſic etiam luxuriæ cauſas agunt. Et ſi quis homini luxurioſo mutuò dediſſe aliquid convincatur, privatur mutuo dato. *Stobæus Serm.42. ex Nicolai de Moribus gentium hiſtoria.*

Pitta-

Pittacus Mitylenæus temulentos, ſi quid deliquiſſent, duplici pœnâ puniri curavit: ut formidine ſupplicii à vino promtiùs abſtinerent. *Alexander ab Alexandro lib. 3. cap. 11. & Laërtius lib. 1. cap. 5.*

Apud *Hiſpanos* hodie ebrietas tanto habetur odio, ut ne teſtimonii quidem dictio ei, qui huic vitio obnoxius vel ſemel fuerit, permittatur.

Athenienſes cùm ebrietatis vitium in omnibus improbarent, ex Solonis inſtituto ebrium principē morte multabant. *Laertius in Solone.*

STUPRI, ADULTERII, *Scortationis.*

Stuprum olim igni puniri ſolitum ex hiſtoria Thamaris colligi poteſt: quā *Júdas* ſocer gravidam audiens, igni cremaſſet, niſi ex ipſo ſe concepiſſe, manifeſtis oſtendiſſet indiciis. *Geneſ. cap. 38.*

Si quis *Iſraëlitarum* puellam virginem alteri pactam in oppido compreſſiſſet, ambo ad oppidi portam educti lapidabantur: hæc quia in oppido non

clamaſſet, ille quia alterius uxorem vitiaſſet. Sin a ruri eam compreſſiſſet, vir tantùm lapidibus obruebatur, quod veriſimile erat, quamvis clamãti puellę neminem opem ferre potuiſſe. Quod ſi virginem quis non deſponſam vitiaſſet, patri puellæ 50 argenteos numerare, eamq; uxorẽ habere cogebatur neque unquam repudiare licebat. *Deuteron. cap. 22.*

Apud *Aegyptios* ſi quis ſine vi adulteraverat, virgis cædebatur ad mille plagas, mulier naſo mutilabatur. Exiſtimabant enim mulierem ſeſe ad illicitam incontinentiam exornantem oportere eâ parte mutilari, quâ maximè facies exornatur. *Diod. lib. 1. cap. 6.*

Apud *Arabes* aliasq; nationes adulteris ſemper capitis pœna fuit: quod pleriq; Philoſophi prodidêre, qui adulterium perjurio gravius crimen cenſuerunt. *Alexand. ab Alex. lib. 4. c. 1.*

Parthi nullum delictum adulterio graviùs vindicant. *Alex. lib. 4. cap. 1.*

Apud *Cumanos* mulier in adulterio deprehẽſa ducebatur in forum, ut illic

lapidi

lapidi inſiſtens omnib. eſſet conſpicua. Deinde impoſitā aſino, atq; ita per totam civitatem circumductā reducebāt ad lapidem, ut ibi rurſus eſſet omnibus ſpectaculo. His actis habebatur infamis per omnem vitam, & ignominiæ gratiâ ὀνόβατις dicebatur, quod aſinum equitaſſet. Lapis autem nefaſtus ac deteſtabilis habebatur, in quo ſteterat mulier. *Ex Plut. Problem. Eraſm. in Adag.*

Apud *Germanos* adulteram abſciſſis crinibus maritus expellit domo, & per omnem pagum nudam verbere afficit.

Comes quidam in venatione ruſticam puellam vi compreſſerat. Pater *Carolo Burgundo duci* facinus indicat, neque tamen auctorem nominare poteſt. Dux mane ſuos omnes eodē quo pridie habitu indutos adeſſe jubet. Parent illi. Puella ex veſtitu & equo corruptorem agnoſcit. *Dux ſeveris objurgatum verbis, ruſticam ſplendidè veſtitam in uxorem ducere cogit. Mox in jus raptum, ob vim ingenuæ illatam capitali ſupplicio afficit, patrimonio Comitis in alimenta, quoad viveret, puellæ conceſſo.* Severita-

tem tantam non obſcurè pleriq; aulicorum reprehendebant, quod matrimonii diſparitas per ſe ſatis ſupplicii videretur eſſe. Quibus ille: *Privata injuria privato*, inquit, *at publica ſupplicio fuit eluenda publico.* Ut refert *Cyriacus Spangenbergius de recto venationis uſu, ex Georgii Luterbeci lib. 2. de Magiſtratibus. cap. 15.*

Nota. Factum hic narramus, de jure facti non diſputamus.

Athenienſes majori pœnâ ſoliti ſunt afficere, illos qui alienam uxorem precio aut illecebris corrupiſſent, quàm qui eaſdẽ vi adhibitâ violaſſent: illos enim morte multabant: hos verò dupli pœnâ afficiebãt, damnum quod illatum eſſet æſtimantes. *Ita autem Lyſias ſubtilis Orator conſilium eorum interpretatur, putatq́; eos hoc ſequutos fuiſſe:* qui enim vim mulieri adhibuerunt, odio habentur ab illis, quas violarunt, contrà autem qui ad ſtuprum pellexerunt, animos etiam corrumpũt earum, quas ſibi conciliarunt: atq; ita quidem corrumpunt, ut ſibi ipſas magis benevo-

las

las quàm viris reddant, unde omnis viri domus in manu & poteſtate adulteri ſtatim ſit. *Victorius lib.32. cap.15. Var. Lect. ex Lyſiæ Oratione.*

INCESTUS.

Ruben primogenitus cùm *Jacobi* patris lectum inceſtu polluiſſet: ætatis prærogativa ab eo oblata, & Joſephi filiis data fuit. *1. Paral.5.* Benedictionem à Patre Jacobo moriente nullam tulit, cùm diceret Jacobus: *Ruben tu primogenitus meus es, meæ vires & meæ virilitatis initium: quanto dignior, tanto impotentior: fluidus ut aqua, non excelles, quia patris tui cubile conſcendiſti, quo conſcendendo meum lectum polluiſti.* Geneſ. c.49.

Conſtantinus Maximus Imperator filium Criſpum ſpurium, jam virum ac militari virtute multis experimentis inſignem, à noverca Fauſta accuſatum tanquam eam ſtupri compellaſſet: ſtatim fide accuſationi habitâ, Polæ (quæ in Hiſtria eſt) capite multari juſſit. Cæterùm poſt aliquod tempus, cùm re detectâ cognoviſſet, non à Criſpo novercam compellatam, ſed à noverca

Criſpum: & ab ea,non preſtiti aſſenſus dolore,accuſatum, Fauſtam quoq; capite multavit. *Fulgoſus lib.6.cap.1.*

AVARITIAE.

Ludovicus Germaniæ Rex, captatores munerum, avaritiâve notatos, ambitus aut repetundarum condemnatos, ſive ob aliud quodvis crimen, ſemel magiſtratu abdicatos nunquam poſthac reſtituit: ratus *vulpem pilos, nunquam animũ mutare:* & magis illos periculi quã beneficii memores, nunquam fidos fore. *Aventin. l.4. Annal. Bojorum.*

Judas Machabæus devicto Gorgia, hoſtes in duobus caſtellis obſedit, & ad ea expugnanda relicto Simone fratre, ipſe cũ parte exercitus abiit. At *Simoniani* avaritia ducti, acceptis 70. drachmarum millibus, nonnullos hoſtiũ dimiſerunt. Eâ re Machabæus cognitâ, proditores interfecit, & caſtellis expugnatis, ad xx. millia hoſtium occidit. *2. Machabæorum 10.*

Alphonſus Aragonũ rex, cùm accepiſſet Gallum medicum, acutiſſimi quidẽ ſed avariſſimi ingenii ſophiſtam, relictâ medi-

medicinâ ad cauſas agendas ſeſe convertiſſe, forumq; omne ſophiſmatibus involvere, illũ foro prohibuit: decreto edicto, ut omnis lis, quam Gallus patronus ſuſciperet, ipſo jure haberetur iniqua & injuſta. *Panorm. lib. 4.*

Alexander Severus Imper. Vetronium Thurinum familiarem, quòd his, qui petebant aliquid à Cæſare, vẽdidiſſet ſuum patrocinium, mentiens interim multa, vinciendũ curavit: & cõvictum damnatumq; in ſtipite alligari juſſit, ſuppoſito igni ex humida materia, precone clamante: *Fumo punitur, qui fumos vendidit.* Idẽ in ipſa via, quâ ejus ſervi à Palatio in villam migrare ſolebãt, unum ex ipſis cruci juſſit affigi, quia centum aureos numos, propter navatam cuidam in aula ſua operam, acceperat. *Fulgoſ. lib. 6. cap. 3. ex Lampridio.*

PRODIGALITATIS.

Græcis lege cautum erat, ut qui patrimoniũ prodegerat, ſepulcro patrio non humaretur, ſed externo. *Alex. lib. 6. c. 14.*

Lege XII. tabularũ prodigis bonorum ſuorũ adminiſtratio interdicta eſt.

Tādem iis quoq; à Prætoribus vel Prę-ſidibus curator datus eſt exēplo furioſi, annexâ iſtâ ſententiâ: *Quando tua bona paterna avitaq; nequitiâ diſperdis, liberosq; tuos ad egeſtatem perducis, ob eam rem tibi eâ re commercioq; interdico.* Valer. Max. lib. 3. cap. 5.

Florentini olim in decoctores ac turpi judicio convictos, eosq;, qui Reipl. debitam pecuniā ex magiſtratus præſcripto ad diem non ſolviſſent, inter ærarios referebant, ſic ut jus ferendi ſuffragii civitatisq; amitterent. Is autem, cui ea multa erat irrogata, adigi ad ſpeculum dicebatur: quod in ea nota, tanquam in ſpeculo, & cenſum & fortunas civium licebat intueri. *Brutus lib. 1. hiſt. Florentinæ.*

Alphonſus Aragonum Rex, cùm equitem decoctorem punire vellet, quibuſdā à rege magnopere petētibus ne in corpus lueret debita, quæ ille plurima per luxū libidinemq; contraxerat reſpondit, *Equidem hunc, neq; ſui regis gratiâ, neq; patriæ cōmodo, neq; propinquorum & amicorum ære alieno ſuſcepto, tam gran-*

grande patrimonium profudiſſe, ſed omnem ſuã ſubſtantiam corpori indulſiſſe. In corpus igitur luere æquius eſſe, ut pœna malefactis ex æquo reſpondeat. Panormita, lib. 1. de rebus ab Alphonſo rege geſtis.

AMBITIONIS.

Salomon rex mortuo patre, Adoniam fratrem, qui regnum affectarat jam pridem, & novâ arte Abiſagam Sunamitidem virginem, quę Davidem jam ſenẽ ſuis amplexibus foverat, in matrimonium poſtulabat, interfici à Banaja Jojadæ F. corporis ſui cuſtode juſſit. Præterea Abiatharem pontificem, qui cum Adonia ſenſerat, ſacerdotio privavit, non tamen interfecit (*propterea quòd Davidi arcam prætuliſſet, & omniũ ejus errorum ſocius fuiſſet*) ſed in prædium ſuum relegavit: Joabum deniq; polemarchum, *partim* propter defectionem à Davide ad Adoniam, *partim* propter Abneris & Amaſæ virorũ fortiſſimorum cædem, ad aram à Banaja trucidari curavit. *1. Reg. 2.*

Theodoſius Honorium & Arcadium, quos ex Placilla filios ſuſceperat, con-

ſortes antea quidem Imperii fecerat. Sed moriens, quia nondum ætas matura Imperio eſſet, teſtamento Rufinum Arcadio, Honorio Stiliconem Vandalum adjunxit, quorum coſilio Arcadius conſtantinopoli, Honorius Romæ res gererent. At cùm Rufinus primùm adverſus *Arcadium*, Alaricum Gothorum regē ſollicitaſſet, hoc animo, ut ſub eo metu & rebus turbatis, diadema Orientis nō ambitu, ſed quaſi neceſſitate, capiti ſuo imponeret, atque etiam Stilico quantumvis ſocer Honorij alia & ſecretiore via filio ſuo Eucherio Tyrannidem pararet, itaq; & poſtremo Suevos, Vandalosque & Alemannos ad inferēdum bellum *Honorio* malitiosè attraxiſſet, ambo pernicioſi tutores detectis inſidiis ac dolis damnati ſunt: *Stilico* Romæ cum filio in foro pacis occiſus eſt: *Rufini* caput cū dextra manu ante portas Conſtantinopolis appenſum, affixum eſt.

P. Aerodius ex Oroſio lib. 7. cap. 37. & 38. Pomponio Læto, in Theodoſio & Paulo Diacono.

Cru-

Crudelitatis.

Simeonem & Levi propter cædem Sichemitarum *Jacobus* pater præ cæteris fratribus minus benedixit, inquiens: *Simeonis & Levis fratrum gladii, tela ſunt crudelitatis: eorum nolim aut in fidem vita mea veniat, aut in ſocietatem honos committatur, qui iracundiâ cædem fecerint & libidine murum ſubruerint. Deteſtanda eſt eorum tam impotens ira & tam effrænatus furor. Eos inter Jacobæos diſtribuam, & inter Iſraëlitas diſſipabo.* Geneſ.49.

Nulla ſuorum temporum novitate Romana civitas majora tulit *ſcelerum monſtra*, quàm cùm inter *Syllam* & *Marium* eſt de ſumma rei in urbe & foris dimicatum. Nec in tantis malis viderunt indignius quicquam miſeri cives, quàm quòd Marii permiſſu ſervitia (*adeò creverat eorum licentia, quibus ille ſeptus in urbem ab exilio redierat*) inprimis verò Bardiæi ſatellites Marii ad libitum graſſarentur in ingenua Romanorū corpora. Quam *Q. Sertorius* in-

juriam haud ferendam ratus, etſi unus Marianarum partium facto in ſervos impetu, ad quatuor millia ejus generis in campo trucidavit. *Sab. lib. 8. cap. 4.*

Judæi *Adonibezecū regem Bezec*, Chananæum, occiſis x. millibus ceperunt, eique manuum atque pedum pollices amputarunt: cùm ille diceret, *LXX. ſeſe regulos habuiſſe, qui manuum pedumq́; pollicibus mutilati, micas ſub menſa ſua colligerent: & nunc ſibi talionem juſtè rependi.* Judic. 1.

Adducto Agago rege Amalech coram Samuele ait ei *Samuel judex Iſraëlitarum*: ſicut fecit absq; liberis mulieres gladius tuus, ſic abſque liberis erit inter mulieres mater tua. *Ex. 1. Sam. 15.*

Mendacii.

Apud *Perſas & Indos*, qui ter mendacio abuſus fuiſſet, illi per omnem vitam ſilentium imponebatur, nulloque magiſtratu aut honore dignus habebatur. *Alex. lib. 6. c. 10.*

Lege *Kennethi Scotorum regis*, mendacii in proximi perniciem convictus, gla-

gladio privatur, à congreſſibus publicis arcetur. *H. Boethius lib. 10.*

Mendacium Gabaonitis attulit ſalutem, ſed abſtulit libertatem. Dederat illis *Joſue Iſraëlitarum dux* in caſtris Galgalæ jusjurandum, quòd vitæ illorum parceret: ratus eos, (*quemadmodũ ipſi referebant*) gentem magis longinquã eſſe, quàm quæ terræ promiſſionis finibus concluderetur. Mox falſos fuiſſe deprehendens, vivere quidem permiſit: ſed calones lixasq; conſtituit, redactos in ſervitutem. Quòd ſi ſervari promiſſum debuit, ne illi cum aliis perderentur, non fruſtrà compoſito pellaciq; ſermone uſi ſunt. Quòd autem ſervari debuerit, ex ſecundo regum volumine apparet, ubi dicitur, *Ideo jam triũ annorum fame laborare populum Iſrael, quia rex Saul Gabaonitas contra fidem, quam à Joſue acceperant, interfeciſſet.* Sed ſi præceperat jam pridem Dominus, omnes gentes illas internecione deleri, cur ſolis deinde mendacibus parci voluit? Quòd ſcil. nulli obeſſe, ſed tantùm ſibi prodeſſe mendacio quæſie-

rant: ac ne omnino impunè mentitos crederes, mancipiorum more ſervierunt. *Marulus lib.4.c.4.ex cap.9. Joſuæ.*

Præcepto *Regis Aſſueri*, ſuperbus & iniquus Aman ſuſpenſus eſt in eodem patibulo, quod paraverat Mardochæo: & hoſtes Judæorum eodem die ab ipſis Judæis occiſi ſunt, quos Judæos illi occidere voluerunt. *Eſtheræ capit. 7. & 8.*

Seniores duo, qui Suſannam ſuæ libidini obſequi nolentem adulterii falsò ream egerant, *Danielis pueri* prudentiâ convicti ſceleris lapidibus obruti ſunt. *Dan. cap. 13.*

Jubente *Dario Rege*, viri qui accuſaverunt Danielem miſſi ſunt in lacum leonum: & non pervenerunt uſque ad pavimentum, cùm arriperent eos leones, & omnia oſſa eorum comminuerent. *Dan. 6. & 14.*

Conſtantinus Magnus Fauſtam uxorem habuit. Hæc Criſpi privigni amore capta, cùm ad libidinem ſæpius eum provocaſſet, renuentem detulit ad maritum, illum ſibi vim inferre voluiſſe.

Conſtan-

Conſtantinus fidem adhibuit, ideoque Criſpum necari juſſit. Verùm poſt aliquot annos compertâ causâ,& in uxorem capite animadvertit. *P. Aerodius ex Eutropio lib. 10. & Nicephoro lib. 7. Eccleſ. hiſt.*

Leges XII. Tab. falſum teſtimonium dixiſſe convictum, de ſaxo dejici jubebant: quod ab *Aegyptiis* ductum facilè crediderim, quibus omne perjurium, & veri ludificatio, diis abjuratis, morte luebatur, quòd Deos unà atque homines offendiſſet. Mox ſubſecutis legibus, mitior pœna perjurio data eſt, quarum verba ſunt: *Perjurii pœna divina, exitium: humana, dedecus violati jurisjurandi eſto.* Apud *Indos* verò de perjurio convictus, manuum pedumq; digitis & extremis membris decurtabatur. *Alex. lib. 6. cap. 10.*

Aegyptiorum lege olim perjuri capite multabantur, tanquam qui duplici tenerentur ſcelere, ut qui & pietatem in Deos violarent, & fidem inter homines tollerent, maximum vinculum ſocietatis humanæ. *Diodor. lib. 1. cap. 6.*

Scurrilitatis.

Apud Rom. cenſor agebat de uxoribus ſolenne jusjurandum. Qui jurabat, cavillator quidam, locum eſſe ſibi joci dicendi ratus, cùm ita, uti mos erat, *Cenſor* verbis conceptis dixiſſet: *Et tu ex animi tui ſententia uxorem habes? Habeo equidem*, inquit, *uxorem, ſed non hercle ex animi tui ſententia.* Tum Cenſor eum, quòd intempeſtivè laſciviſſet, in ærarios retulit, cauſamque hanc joci ſcurrilis, apud ſe dicti, ſubſcripſit. *Gell. lib. 4. cap. 20.*

Domitianus Imp. Quæſtorium virum, quòd geſticulandi ſaltandique ſtudio teneretur, movit ſenatu. *Suetonius.*

Perfidiae erga
Patriam.

Turca *Venetos* bello premebat, anno 1540. Venetorum legatus, *Aloiſius Baduarius*, de pace miſſus ad Turcam, omneis alias conditiones deferre priùs, & duas illas urbes ad extremam neceſſitatem reſervare juſſus erat. Sed Turca, qui decretum Senatus jam antè per indicium acceperat, expoſtulãs

cum

cum eo, quòd mandata ſua non ſatis explicaret, non, niſi traditis illis locis, paciſci voluit. Obſtupefactus ille, cùm arcana Reip. prodita eſſe videret: illud, quod alioqui tandem facturus erat, quantumvis invitus atq; dolens permittit. Ubi domũ reverſus rem omnem expoſuiſſet, attoniti patres, poſt diligentiſſimam perveſtigationem quoſdam comprehendunt, & criminis convictos, capite plectunt. Ex iis quidam in Gallici legati, Epiſcopi Monſpeſſulani diverſorium, velut in aſylum perfugerat: mittuntur ergo ſatellites, qui totam domum perquirant. Sed quum aditu prohiberentur, ſenatus ex armamentario jubet educi machinas ad evertendã domum. Itaq; Galli, cùm periculum ſuum viderent, illum exhibuêre. *Sleidanus lib. 12.*

INOBEDIENTIAE ERGA *Magiſtratum.*

Semei à Salomone Rege Hieroſolymam relegatus fuerat, cum interdicto gravi, ne torrentem Cedron tranſiret. Paruit triennio integro. Pòſt cùm duos

ſervos fugitivos Getham uſque perſequutus retraxiſſet., inobedientiæ cauſâ interfectus eſt, ſimul etiam quia Davidi regi jam olim pulſo per Abſalomum filium maledixerat. *1. Reg. 2.*

Valentinianus Imp. Rhodano Eunucho, qui Berenicem Viduam injuriis affecerat, muliere de illo conquerente, judicem dedit Saluſtiũ Præfectum Prætorio. A' quo condemnatus Præpoſitus, cùm judiciũ illius nihili faceret, ab Imperatore in Hippico crematus eſt, omnibus archieunuchi bonis viduæ aſſignatis. Quo exemplo territi mortales, omni injuria abſtinuerunt. *Suidas.*

Injustitiae Parentum *erga Liberos.*

Apud *Aegyptios* patribus, qui filios occiderent, non erat pœna mortis indicta: ſed tribus diebus noctibusque continuis edictum, ut circa defuncti corpus aſſiſterent, publicâ etiam cuſtodiâ aſtante. Non enim juſtum putabant, eum privari vitâ, qui vitæ filiis auctor fuiſſet; ſed potiùs continuo dolore,

lore, factique pœnitentiâ affligi, quo cæteri à ſimili facto averterentur. *Diod. lib. 1. cap. 6.*

Idomeneus Rex Cretæ, qui Græcis ad Trojam militavit, in reditu tempeſtate vexatus, promiſit, ſi ſoſpes in regnum rediret, ſe hoc immolaturum, quòd exeunti ſibi de nave primùm occurriſſet. Itaq; cùm filiam ſuam, quæ prima occurrerat, immolaſſet, aut, ut alii dicunt, immolare voluiſſet, à *retenſibus* regno pulſus eſt. *Homerus, & Volaterranus lib. 16. Anthrop.*

Injustitiae Liberorum *erga Parentes.*

Apud *Iſraëlitas* filius cùm parentibus inobediens eſſet, ab illis ad judices adductus & accuſatus, à tota multitudine lapidibus obruebatur. *Deut. 21.*

Abſalomus cùm patrem Davidem regno expuliſſet, ad Mahanaim magnam cladem à Joabo Davidis polemarcho paſſus, cæſis XX. ſuorum millibus, cõſcenſo mulo fugiebat. Cumq; ſubter denſam patulamque quercum

præteriret, Cæſarie ramis implexâ pependit. *Joabus* ſuperveniens, tria jacula pectori ejus infixit: ejus armigeri decem gladiis eum confecerunt, & in vaſtam quandam voraginem in ſylva projectum, congeſto ingenti ſaxorum cumulo obruerunt. *2. Sam. 18.*

Cùm *Pipinus gibboſus*, Caroli Magni *nothus*, & natu Maximus filius, quadriennio pòſt cum quibuſdam proceribus Francorum contra patrem conjuraſſet: conjuratione à Fardulpho Monacho detectâ, ille in monaſterium relegatus, auctores morte ſcelùs luerunt. *Sigeberius & Aventinus lib. 4. Annalium.*

Henricus, Filius Friderici II. Imperatoris, ex Conſtantia prima conjuge, patre vivente penè puer decennis Romanorum Rex eligitur: cui, poſteaquam adolevit, Auſtriæ ducis filiam in matrimonium collocavit. Sed cùm Pontificiis diris Fridericus agitaretur, ipſe quoq; à Pontifice inductus, conſpirationem cum Longobardis contra patrem fecit, & exercitum in Bavariam contra Othonem ducem, patre invito, duxit.

164

duxit. ob id à patre in Apuliam vocatus, cuſtodiæ datus, maceratus eſt in vinculis, cùm Pater jam annis XX. regnaſſet. Mortuus pòſt miſerabiliter, cùm octo annis regno præfuiſſet. Quē pater dehinc flebiliter luxit, ut Petrus de Vineis ſcribit. *Cuſpinianus.*

PERFIDIAE PRAECEPTO-*rum erga diſcipulos.*

Anthyllum filium Antonii Triumviri, Theodorus, rector atq; præceptor à patre datus, debellato Antonio, Auguſti militibus interficiendum tradidit, erepto qui ex collo pendebat precioſiſſimo lapillo. Cùm utrumque ad aures *Auguſti* perveniſſet, ob nefariam proditionem atq; ob latrociniū, quod impudenter pernegabat, Theodorum, haud minùs magiſtro Phaliſcorum abominādum, necari juſſit. *P. Aerodius, ex Plutarchi Antonio.*

PERFIDIAE DISCIPULORUM *erga Præceptores.*

Nero Cæſar Senecam Præceptorem ad necem compulit: quamvis ſæpe

commeatum petenti, boniſq; cedenti perſanctè juraſſet, ſuſpectum ſe fruſtrà periturumq; potiùs, quàm nociturum ei. *Suetonius.* Juſtas tandem pœnas perfidiæ hujus Nero dedit..

CONJUGALIS PERFIDIAE.

Jacta in præceps Apronia Plautii Sylvani Prætoris, cùm in nullũ alium ſuſpicio caderet, neque eſſet ullus qui de facto quicquam audiſſe vel vidiſſe ſe diceret: Sylvanus ad Tiberium Imperatorem adductus eſt. Huic de morte uxoris interroganti, quiâ turbato animo & quaſi à ſomno rediens reſpondiſſe viſus eſt, *Uxorem ſponte ſibi mortem conſciviſſe:* quæſtionem exercens ipſe Tiberius, in cubiculũ venit, ex quo ſe Apronia præcipitem dediſſe à marito dicebatùr. Ibi cùm reluctantis & impulſæ veſtigia, pedum, manuum, unguiumque contactu feneſtris impreſſa viderentur: ex mendacio cõſcium eſſe judicavit. Sed ob prætoriâ dignitatem hunc ab amicis ſentẽtiæ ſuæ admoneri voluit. Itaq; Plautius damnationem antevertit. *P. Aerod. ex Cornel. Taciti l. 4.*

In

In Hunnorum in Europam adventu, qui fuit anno CCCLXXIII. quædam mulier, quæ in viri nece deprehenſa fuerat, capitis accerſitur. Homicidii convicta pariter & adulterii, uſque adeò regis Gothorum *Hermanarici* iram facinoris indignitate ſuccendit, ut quatuor equorum diſcerptu multaretur. Duo ejus feminæ fuêre fratres, Roſſomanorũ perfidâ gente nati: quorum alter Sarus, Ammius alter dictus eſt. Hi Hermanaricum interficiunt: patratâ cæde, ad Hunnos perfugiunt, Balamirum Hunnorum regem contra Oſtrogothos ducunt. *Bonfinius libro 2. Dec. 1.*

INJUSTITIAE SERVORUM erga *Dominos*.

Rechab & Banaa Judæi, cùm occiſo Isboſetho Sauli Filio, ad regnum adverſus Davidem aſpirãte, facinus *Davidi* velutirem pergratam nũciaſſent: & graviter eum caſum indoluit, & ſtatim percuſſores ipſos interimi juſſit, manusq; ac pedes eorũ ſupra piſcinam Hebron affixit. *Fulg. lib. 6. c. 5. ex 2. Sam. 4.*

INJUSTITIAE DOMINORUM *erga Servos.*

Intaphernes, unus ex *Darii* ſociis, qui Perſarum regnum à Magis fratribus vindicarunt armis, poſt ſummam rei Dario delatam, cùm à cubiculi miniſtro regem adire prohiberetur, irâ percitus aures illi & naſum abſcidit. Eſtque ob eam noxam *Intaphernes* cum omni virili ſtirpe ad ſupplicium abreptus. *Sabellicus lib. 3. cap. 7. ex Herodoti libro 3.*

TESTIMONII FALSI.

Falſi teſtimonii ea erat pœna apud *Iſraëlitas*, ut idem falſo teſti fieret, quod ipſe in alterũ commentus fuerat. *Non miſereberis ejus*, inquit, *ſed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.* Deut. 19.

Apud *Indos* qui falſus teſtis deprehenditur, extremis decurtatur. *Strabo libro 15.*

Lycii vendunt eos omnes, qui teſtimonium falſum dixerunt, eorumq; facultates publicant. *Heraclides in Politiis.*

Apud

Apud *Piſidas* qui falſum teſtimoniū dixiſſent,de ſaxo præcipitabãtur. *Alex. lib.6. cap.10.*

Huldricus VVagner caupo Willoſovienſis in Helvetia, *Aegidium Spilmannum* civem Bernenſem locupletem hoſpitio exceperat. Ei loculos ſuos Aegidius bonâ fide ſervandos committit. Caupo perfidus, apertis loculis ſigillum Aegidii reperit, eoque chirographum Aegidii nomine ſcriptum, magnâ pecuniæ vim ſibi à caupone commiſſam, in trium teſtium præſentia fatentis, obſignat. Aliquot annis pòſt, cùm teſtes duos pecuniâ corrupiſſet (tertius enim jam obierat) Aegidium in jus vocat. Qui jure coactus cum eo paciſcitur. At interea cùm caupo ob novum aliquod facinus captus eſſet, perfidiam ſuam erga Aegidium detexit. *Ille* rotæ ſupplicio affectus fuit. *Teſtes falſi* Bernæ bullienti oleo immerſi perierunt. *Stumpfius lib.7. Helvet.*

SEDITIONIS.

Apud *Gallos* ei qui tumultuatus eſſet,tantum veſtium publicus miniſter

recidebat, ut reliquæ veſtis partes inutiles redderentur. *Sab.l.1.En.4.*

Jonathas, Sicariorum Cyrenenſium princeps, ob ſeditionem motam, & Principes Judæorum falsò accuſatos, à *Veſpaſiano* Romæ virgis cæſus, vivus exuritur. *Joſephus lib.7. capit.ultim. belli Judaici.*

In ſeditione Lubicenſi circa annum 1380. ortâ, inter plebem & Senatum, ſed ſtatim compoſitâ: *lanii* qui cæteram plebem concitaverant, juſſi ſunt poſcere veniam à publico conſilio, & loco pœnæ viginti equites, quoties juberentur, expedire. *Cranzius lib.9. Vandaliæ cap.5.*

DEFECTIONIS REBELLIOnis, *transfugii.*

Victo Abſalomo, *Judæi* Davidem ſuum regem exulem reduxerunt primi atq; ſoli, non expectatis reliquis Iſraëlitis. Id iniquè tulerunt *Iſraëlitæ*, quaſi à fratribus ſuis Judæis contemti eſſent. Itaque *Seba Bochri F. Jeminienſis* ſigno tubâ dato, Iſraëlitas omnes à Davide abduxit, ſolis Judæis in fide permanentibus

162

tibus. Verùm à Joabo in urbe Abelmaacha obſeſſus, conſilio mulieris cujuſdam ab oppidanis trucidatus, caput ejus de muris in caſtra Joabi projectū eſt. *2. Sam. 20.*

Germani transfugis dextras amputabant. *Alexand. lib. 2. cap. 13.*

Athenienſes latâ lege ſtatuerunt, ut defectoribus partim pollices è manu dextra (*ut poſthac haſtam ferre nō poſſent, remos verò commode agere nihilominùs poſſent*) reſcinderentur: partim punctis in facie (*quæ noctuam referrēt*) notarentur. *Aelianus lib. 2. de Varia hiſtoria.*

HOMICIDII.

Apud *Iſraëlitas* omnis, qui hominem *ſciens volensq́;* quomodocunq; occidiſſet, morte plectebatur, vel à magiſtratu, vel à vindice privato alterius necis: ſin *per imprudentiam*, in oppida profugii tanquam in aſyla confugiebat, & illic tutus erat, nec niſi poſt mortem ſummi pontificis revertebatur in patriam. Sin extra fines aſyli progreſſus eſſet, impunè à vindice interfici poterat. *Sanguine enim* (inquit Dominus)

impiatur terra: neq; à ſanguine in ea fuſo expiatur, niſi ejus ſanguine qui fudit. Numer. 35.

Quamvis *Joabus* Davidi regi, ob artis militaris peritiam & fidem, chariſſimus fuit: tamen quia perfidè occidit duos viros, occidi eum fecit *Salomon*, tenentem cornu altaris *1. Reg. 2.*

Græci homicidio pollutos, aut ſanguine infectos humano, hominesque turpiſſimarum ſordium ſacris arcebāt: néve aras contingerent, aut ſacrificio intereſſent, lege interdicebant. *Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 17.*

VENEFICII.

Fridericus I. Barbaroſſa, Arabem quendam *magum*, mercatoris habitu, in caſtra miſſum à Mediolanenſibus, uti veneno Imp. tolleret, deprehenſum, capitali ſupplicio affecit, licèt graviter Friderico minitaretur, ſe illum carminibus enecaturum, niſi dimitteretur.

Carolus VII. Gallorum Rex, Principem Egidium de Raxa, Gallici regni Mareſcallum, furcis appenſum, atque igne aſſum, fœdâ morte affecit, quòd magicæ

gicæ arti deditus, centum ac viginti, tum prægnantium mulierum, tum infantium corpora occiderat. *Mulier* quoque *ruſticana Abevillenſis* viva combuſta fuit, quia infantes peremerat, & ſale conditos in cibum adhibuerit. *Fulg. lib. 9. cap. 2.*

LATROCINII SICARIORUM, *Prædonum, Piratarum.*

Prædonum licentiam Otho IV. Rodolphus, Henricus VII. Ludovicus Bavarus, Robertus Imp. & legibus & armis ſuſtulére.

Latrones, qui Ibycum interfecerant, à gruibus accuſati fuére. Sedentes enim in theatro *Corinthi*, cùm prætervolantes grues viderent, inter ſe ridẽtes ſuſurrabant, ἰδὲ αἱ Ἰβύκȣ ἔκδικοι, *En Ibyci ultores.* Quæ verba, cùm quidam ex aſtantibus audiviſſet, magiſtratui indicavit. Capti ergò & crimen confeſſi, in crucem adacti ſunt. Vnde proverbium: *Ibyci grues,* vel *ultores.*

Joachimus Marchio Brandeburgenſis, ſupra LXX. prædonibus, & in iis etiam nobilium non paucis, ſecuri cæſis, di-

tionem ſuam à latrociniis purgavit. *Auriga* quidem ab equite quodam fortunis omnibus exutus, ad *Marchionem* prandētem intromiſſus, calamitatem ſuam expoſuit, & inter miniſtros aſtantes eum, à quo ſpoliatus fuerat, agnitum indicavit. *Marchio* poſterâ die capitali ſupplicio, latronem è ſuo arreptum conſpectu, affecit. *Jo. Agricola in proverb. German.*

Jacobus Marchio Badenſis, ſicubi in ditione ſua latrociniū commiſſum didicit, vocatis iis qui damno affecti fuiſſent, tantum eos ex fiſco ſuo accipere juſſit, quanti eſſe, quæ amiſiſſent, jurejurando affirmaſſent. Exinde *latrones* inſecutus, apprehenſos in *rotam* ſuſtulit. Id eſt ſupplicii genus apud Teutonicos formidabile. At ita brevi pacatiſſimam provinciā reddidit. *Aen. Sylv. lib. 4. de Alphonſo.*

Apud *Saxones* anno M. D. *carnifex latro*, qui & mercatoris peregrè profecti familiam crudeliter interfecerat, abſconditus in cella vinaria, & latrocinium hoc in ipſum poſtea mercatorem

trans-

transferebat, idque per torturam elicuerat: proditus argenteis poculis, mercatoris ſymbolo notatis, comprehenſus fuit, & ignitis forcipibus à populo in foro dilaniatus. *Jo. Paulus in Spudopædia.*

FURTI, RAPINAE.

Si quis in furto ſit deprehenſus apud *Locros*, oculis privatur. Cùm autē *Zaleuci filius* reus ageretur, & eum *Locri* abſolverent, nō permiſit: ſed ſibi *unum* & filio *alterum* effodit. *Heraclides in Politiis.* Sed hoc ſupplicium adulterio irrogatum alii ſcribunt.

Fridericus III. Imper. furtis ſuſpendium addidit. Quâ pœnâ nunc per Europam utimur. *Ludov. Vives lib. 7. de cauſis corruptarum artium.*

Alphonſus Ateſtinus, dux Ferrarienſis, fuit mendacium inprimis, furumq; & ſeditioſorum ſeverus hoſtis, cùm in reliquis criminibus puniendis exorabilem ſe lenemq; præberet. *Jovius.*

Cùm *Cæſaris Caroli V.* milites Genuā obſiderent, peditum dux *Ferdinandus Davalus Piſcarius* per præconem edixit,

ut Genuenſium villis atq; deliciis parceretur, adeò ſeverâ lege, ut *Spinoſam equitem* viliſſimæ prædæ intentum, laqueo è feneſtra ſuſpenderit. *Jovius in Piſcario lib.3.*

Mahometani furem *primâ* & *ſecundâ* vice verberant: *tertiâ*, manum ei unam præcîdunt: & *quartâ*, pedem amputant. *Gigas.*

Tamberlanes Tartarorum Imp. cùm exercitum per minorem Aſiam duceret (quæ nunc *Turcia* dicitur) eique lacrymabunda *mulier* occurriſſet, & conquereretur, ab ejus *milite*, nullo dato precio, lac, parumque caſei ſibi erepta eſſe: ſtatim conſiſtere juſſit exercitum, atq; inde agmen ordinatim incedere, ut mulieri facultas eſſet eum agnoſcē-di, qui vim fecerat. *Eo agnito, rex per pectus, ſe præſente, aperiri corpus juſſit: in cujus ſtomacho lac, quod mulieri eripuerat, fuit inventum.* Cui ſupplicio mulier deſignata erat, niſi ejus rei, quâ ſe ſpoliatam queſta erat, ſigna fuiſſent inventa. Hac ſeveritate aſſequebatur, ut copiæ, quas habebat immenſas, cùm tu-

tus ad caſtra omnibus eſſet acceſſus, omni commeatu ſemper abundarent. *Fulg. lib. 2. cap. 2.*

PLAGII.

Si quis *Iſraëlitarum* plagium commiſiſſet, & Iſraëlitam aliquem abductum vendidiſſet, morte plectebatur. *Deuter. 24.*

FALSI CRIMINIS FALſariorum.

Anno XIV. Imperii *Anaſtaſii Imper.* vir quidam ex eorũ numero qui Chymicam artem profitentur, callidus oculos hominum impoſturâ perſtringere, argentariis aliisque obtulit manus pedesque ſtatuarum, & alia aurea, dicens, ſe theſaurum reperiſſe: multosque ita deceptos ad paupertatem redegit. Famâ vulgatâ, captus, & ad Anaſtaſium adductus, frænum equi ex ſolido auro conflatum, ac margaritis conſervatum obtulit. Sed Imperator fræno accepto: *Ut omnes*, inquit, *fefelleris, me profectò non decipies*: ſtatimque hominem in caſtellum quoddam relegavit, in quo periit. *Cedrenus.*

Apud *Aegyptios*, ei qui monetam circumcideret, aut adulterinam cuderet, aut pondus vel ſigna immutaret, aut falſis literis inſcriberet, aut de ſcripto demeret, aut falſas ſyngraphas afferret, ambæ amputabantur manus: ut quæ corporis pars peccaſſet, ꝑ univerſam vitã lueret pœnam: cæteri quoq; illorum calamitate moti, à ſimili ſcelere abſtinerent. *Diod. Siculus lib. 1. cap. 6.*

Moſcovitarũ mercatores, Græcâ aſtutiâ, ut & religione, imbuti, *Septẽtrionales populos* ſimplices adulterinâ monetâ incredibiliter decepêre. At *regii Suecorum præfecti* dolo animadverſo, monetam colliquarunt, & in eam falſarios vivos immiſerunt. Cæteri in ſimili fraude deprehenſi, caldaribus impoſiti, vel aquâ ferventi conſumuntur, vel in ſublimiori trabe, circumligatâ per totum corpus monetâ undique ſplendente, ſuſpenduntur. *Olaus lib. 6. cap. 13.*

INOBEDIENTIAE ERga *Leges.*

Apud *Quoſdam* ita cautum animadverto,

 171

verto,ut quiſquis per audaciam legum placita riſui habuiſſet, diebus viginti in archivo vinctus cyphone (*id erat ligneum vinculum ſive ferreum*) perſeveraret nudus, melle ac lacte delibutus, ut apibus muſcisq; eſſet pabulum: dilapſis verò iis, muliebri indutus veſte deturbaretur in præceps. *Aulam* verò dicebant locum, quò ducerētur damnati,quem mox juniores ἀργεῖον,id eſt, archivum cœperunt appellare. *Calius lib.10.cap.5. Antiq.Lect.*

Athenienſes olim damnabant reos, non quidem ſi totam tantùm legem, ſed ſi unicam ſyllabam transgreſſi fuiſſent. *Alex.lib.3.cap.5.*

Anno 1106. Mediolani cùm *nobilis quidam*, neglectâ lege nuptiarum cauſâ ignem ſpirante vento in ædibus accendiſſet,ac propterea novo urbem incendio afflixiſſet,ipſe cum tota progenie perpetuo exilio eſt multatus. *Sigonius libro 10. regni Italici.*

FINIS LIBRI II.

172
(qui horum omnium fons eſt) *Confidentia erga Deum.*

CAP. I.

DE AMORE ERGA DEUM.

ANte omnia *nomen* hîc notandum & explicandum venit, priuſquàm *res ipſa* explicetur.

Differunt communiter *dilectio*, *amor* & *charitas*.

Dilectionem enim minorem faciũt amore, amorem majorem dilectione, charitatem majorem amore. Cicero epiſtolâ ad Dolabellam: *Quis erat qui putaret ad eum amorem, quem erga te habebam, poſſe aliquid accedere? tantum tamen acceſſit, ut mihi deniq; nũc amare videar, antea dilexiſſe.*

Dilectio ergo eſt affectus levior, *amor* vehementior, *charitas* ibi ſtatuitur, ubi conjunctio arctior & perpetua intercedit.

Hæc eſt uſitata trium iſtarum vocum diſtinctio: at in rebus divinis di-

ſcrimen iſtud non ſemper obſervatur, in primis quũ de charitate erga Deum agitur: & ſi quod diſcrimen eſt, amor & charitas erga Deum cauſa ſunt dilectionis: hæc verò effectum eſt charitatis & amoris erga Deum.

Cæterùm amor erga Deum vel *naturalis* eſt vel *ſupernaturalis*.

Amor naturalis erga Deum, eſt qui cum Adami natura à Deo concreatus erat ab origine. Nam ſi ſine charitate à Deo creatus eſt, ejus ſimilitudinem in creatione ſui nequaquam accepit. Si ſine charitate creatus eſt, juſtus & innocens à Deo factus non eſt. Neceſſe igitur eſt Adamum, antequam peccaret, charitatem habuiſſe, ſine qua juſtus & innocens eſſe non potuit. Eam tamen violatione præcepti Dei perdidit.

Amor erga Deum ſupernaturalis, eſt virtus per Spiritum Sanctum cordibus noſtris infuſa, quâ toto corde, totâ animâ, totâ mente, totisq; viribus Deo uniti adhæremus, uti ſummo noſtro bono, ita ut ſicut ipſum ante & ſuper

omnia

omnia amamus, ſic etiã propter ipſum alia, quæ ſecundùm voluntatem ejus diligenda ſunt, amore noſtro complexi, tamen in ipſo ſolo cordibus noſtris unicè conquieſcamus.

Deum toto corde, totâ animâ, totis viribus jubemur diligere. Quod utiq; ita fit, ut ſola erga eum dilectio omnes alias ſuperet dilectiones. Super omnia enim amandus eſt auctor ipſe omnium atq; conſervator. Nulla res unquam cordi noſtro ſic inhærere debet, ut ejus causâ ille, qui eſt cauſarum cauſa, minùs honoretur, minùs colatur. Deſpiciantur opes, deſerantur parentes, repudietur uxor, abjiciantur liberi (*comparativè iſta dicuntur*) perferantur ſupplicia, vita iſta effundatur: nihil denique vel non agendum, vel non ſuſtinendum putetur, quod ab homine agi ſuſtinerique poſſit, dummodò ſoli pareatur Deo, ſoli ſemper deſerviatur. *Marulus lib. 5. cap. 1.*

EXEMPLA.

Machabæi ſeptem fratres neque ingentibus regis promiſſis corrupti ſunt,

neq; minis territi. Ad perferenda fortiter ſupplicia *mater* hortatrix aderat: & magis ipſa animo torquebatur, verens, ne tormentis victi, contra Dei legem aliquid agere inclinarentur. Sed & feliciter conſumti, *plùs Deum quam ſemetipſos, diligendum*, documẽto fuêre: & mater *ſic amandos filios, ut eos quocunq; mortis genere affici maluerit, quàm peccare*. Ac ne in ſe quàm in liberos indulgentiorem fuiſſe putes, quos ad necem præmiſerat, continuò ſequi voluit. Et id quidem tantò lubentiùs, quãto jam de eorum erga Deum fide magis fuit ſecura. *Non ſupplicia reputabat; ſed an Deum amarent, glorioſam experientiam*: multaq; charitate ardens, probari tam ſe quàm filios pœnis acerbioribus geſtiebat. *Marul. lib. 5. cap. 1.*

Dei charitas Sanctos, non modo divitiarum, dignitatumque ſecularium atq; honorum, verùm etiam lucis hujus contemtores fecit. Nullis tyrannorum minis ſuppliciis've absterreri potuerunt, ne nomen Dei ubique palàm prædicarent, atq; extollerent. *Petrus, Andreas,*

Andreas, Philippus crucifigi non recuſarunt: *Jacobus* & *Paulus* capite truncari: *Jacobus* alter de pinna templi dejici, & fullonis fuſte mactari: *Joannes* in bullientis olei dolium nudus demitti: *Thomas* & *Matthæus* lanceis confodi: *Stephanus* lapidibus obrui: *Matthias* ſecuri percuti: *Simon* & *Judas* irruenti ſacrilegorum impetu elidi atque obteri: reliqui omnes diſcipuli diverſis tormentorum generibus abſumi ac perimi. Quid poſt illos de tot millibus martyrum dicam? *Dulcia illis tormenta erãt, per quæ ad Chriſtum aſcendere, cùm illo jungi properabant.* Nihil illis formidini, nihil timori eſſe poterat, quoniam perfecta charitas foràs mittit timorem. *Vehementiores pœnas expetierunt, ut majoris amoris teſtimonium redderent.* Sed nulla tam vehemens à perſecutoribus excogitari potuit, ut æquaret patientium affectum, graviora tolerare parati erant, quàm noverat inferre rabies inimici, in ipſos debacchantis. *Marulus ibid.*

Maria Magdalena, mundi dilectione

in dilectionem Domini commutatâ, ſoli illi placere cupiens, venit in domũ Phariſæi, ubi ipſe recubuerat: humiq; proſtrata, pedes ejus oſculari cœpit, lacrymis rigare, capillo tergere, unguentis perfundere, & quoniam charitas operit (*nempe tanquam ſignum conſequens, non ut cauſa meritoria antecedens*) multitudinem peccatorum, continuò de illa dictum eſt, *Remittũtur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Ut idem *Marulus ibid. ex cap. 7. Luc. ait.*

D. Paulus, Gentium Apoſtolus, de iis qui Deum amant, ad Romanos ait: *Scimus, diligentibus Deum omnia cooperari in bonum, iis qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti.* Idcirco ipſe, cùm ei à Spiritu Sancto prædictũ fuiſſet, quòd vincula tribulationesq; paſſurus Hieroſolymis eſſet, illò proficiſci nequaquam dubitavit, eodem ſpiritu confirmatus: nihil ſupplicia veritus, dũ prædicat Jeſum. Lugentibus diſcipulis, & magiſtrum indulgentiſſimum pariter ac doctiſſimum à propoſito deterrentibus: *Quid facitis,* inquit, *flentes & affligentes*

 175
gentes cor meum? ego autem non ſolùm alligari, ſed & mori in Hieruſalem paratus ſum propter nomen Domini Jeſu. Idem Marul. ibid.

Caput. II.

Timore Dei.

Quemadmodum Amor *bonitati*, ſic Timor *potentiæ divinæ* convenit. Quique verè diligit Deum, eundem etiam timebit.

Timor autem Dei verus hoc præſtat homini fideli, ut, ad Verbum Dei tremens, timeat tanquam ſummum malum, ne Deum tam bonum, tam beneficum Patrem, peccatis offendat: ſed ea ſedulò fugiat, nõ tantùm formidine pœnæ, ſed multò magis amore in Deũ impulſus. Vocatur etiam *reverentia Dei* quæ differt à *veneratione Dei*: Omnes enim promiſcuè venerantur Deum, pauci reverentur.

Ergo timor Dei ab amore ejus ſeparatus non eſt filialis, nec cultus Dei.

Rectè *Gentilis poëta* dixit:

Oderunt peccare mali formidine pœna,
Oderunt peccare boni virtutis amore.

Nos Scripturæ Sacræ ductum ſequuti, dicimus *quòd boni oderunt peccare amore Dei & pietatis.*

Porrò talis timor Dei, qui dicitur *filialis*, cùm proprius ſit filiorum Dei. *Proverb.8. verſ.13. Pſalm.5. verſ.8.* conſiſtit in tribus rebus.

1. Ut Deum ſemper omnia noſtra intuentem nobis ante oculos proponamus.

2. Ut eum noſtrarum cogitationum dictorum, factorumque omnium teſtem & vindicem agnoſcamus, ac revereamur.

3. Ne quidquã ſit, quod magis metuamus, quàm ne Deum benefactorem noſtrum offendamus, & iram atque judicium ipſius adverſus nos iritemus.

Timori Dei filiali ac fideli opponitur tum *infidelis timor Dei:* tum *ſecuritas carnalis & timor hominũ potiùs quàm Dei.*

Infidelis timor Dei (qui ex infidelitate pro-

te proficiſcitur) eſt vel *timor Dei κατὰ χρηστικῶς ſic appellatus*, vel *timor Dei vanus* vel *ſervilis timor Dei*.

Timor Dei καταχρηστικῶς ſic appellatus, eſt vitioſus & perverſus cultus Dei.

EXEMPLA.

Sic reverebantur Jehovam: & faciebant ſibi è numero ſuo ſacerdotes excelſorum, qui ſacra faciebant eis in æde excelſorum, Jehovam reverebantur & deos ſuos colebant ex ritu gentium quas deportauerant inde. *2. Reg. cap. 17. verſ. 32, 33.*

Salomon Judæorum Rex, hoc timore adductus, ædificauit fanum *Chamos*, idolo *Moab*, in monte qui eſt cõtra Hieruſalem, & *Moloch* idolo filiorum Ammon. *1. Reg. 11.*

Faunus Latinorum Rex, quo tempore Pandion regnavit Athenis, religionem & deorum immortalium metum Italis gentibus introduxit, ut ait *Lactantius in libro de Falſa religione*, cùm ante illũ parva omnino aut nulla eſſet religionis in Italia cognitio.

Numam Pompilium, memoriæ prodi-

tum eſt, quum Romanę juventutis bellicoſos acresque ſpiritus, incuſſo deorum metu, retundere cuperet; omnium primum *Fidei* templum conſtituiſſe, illamque Romanis, *Plutarcho auctore*, maximum eſſe jusjurandum, demonſtraſſe.

Timor Dei vanus, eſt timere offenſionem & iram Dei, ubi non eſt timendi cauſa. *Pſalm. 14. v. 5.*

Exemplum.

Multi timent iram Dei quum violant traditiones ſtultas, quum nolunt veſci carnibus diebus ab homine interdictis; & non timẽt iram Dei, quum pertinaciter propugnãt idololatriam, & homines pios innocentesque ferro & flammis perſequuntur, eosque trucidant.

Servilis timor Dei, eſt metus iræ Dei & judicii divini adverſus peccata, quo impii percelluntur, ut fugiant Deum, & fremant adverſus eum, ſeparatus à charitate in Deum & cum odio Dei conjunctus. De hoc timore dicitur 1. Johan. 4. v. 18. *Metus non eſt in charitate: inte-*

integra charitas foras ejicit metum: quoniam metus cruciatum habet: qui autem metuit non eſt conſummatus in charitate.

Exempla.

Talis timor eſt in dæmoniis, item in hominibus impiis, ut Caino, Saule, Juda, Jac. capit. 2. *Tu credis Deum unum eſſe, rectè facis: & dæmonia credunt & horreſcunt.*

Hic timor Servilis nobis deponendus & cavendus eſt:

1. Quia eſt à Deo prohibitus, ut ad Mariam dicebat Angelus Gabriel Lucæ 1. verſ. 30. *Ne time Maria:* ad paſtores Bethlehemiticos Luc. 2. v. 10. *ne timete.*

2. Quia *ſumus in gratia apud Deum* Luc. 1. v. 30.

3. Quia *nobis natus eſt Servator, qui eſt Chriſtus Dominus.* Luc. 2. v. 10.

Preterea differt timor hic Dei, à terrore Dei, id eſt, quem Deus incutit:

1. *Fidelibus,* ut eos comparet ad ſanctam & religioſam perceptionem verbi divini:

Exempla.

Deus *Abrahamo* nondum liberos ha-

bẽti,adhibitis ſymbolis, confirmat ſuperiores promiſſiones de ſua protectione & poſteritate numeroſa, quam, poſt, definitũ 400. annorũ tempus, ſe in promiſſæ terræ poſſeſſionem miſſurũ pollicetur, & teſtatur fœdere: incuſſo tamen priùs Abrahamo terrore, immiſſiſq; tenebris magnis, occupantibus eum. *Gen. cap. 15. v. 12.*

Moſe expreſsè à Deo vocatur liberator populi; antequam verò de ratione, quâ apud Regem & Iſraelitas agat inſtruatur, terror ei magnus incutitur: Deo namq; dicente: *Ego ſum Deus patris tui, Deus Abrahami, Deus Iſaaci: & Deus Jacobi*; abſcõdit Moſe faciem ſuam, quia timebat, ne intueretur Deum.

Cæterùm duæ ſunt hujus timoris cauſæ, conſcientia mali noſtri, exemplo Adami & Petri. *Gen. 3. verſ. 10. Luc. 5. v. 8.* & majeſtatis Dei ſublimitas, ad cujus præſentiam Angeli ipſi faciem obvelant. Jeſ. 6. v. 2.

2. *Infidelibus*, ut veluti freno aliquo contineantur, ne quid contra Deum vel in pios tentare auſint. Ejuſmodi terro-

terrorem vulgò *terrorem Panicum* nominant.

EXEMPLA.

Civitatibus (*Schecemo & aliis*) inerat terror Dei, adeò ut non perſequerentur Jacobum & familiam ejus. *Maximus hic terror divinitùs immiſſus eſt:* humanitus enim nequaquam fuiſſet timendum illis, qui numero, potentiâ, peritiaque locorum & viarum longè erant ſuperiores. *Gen. 35. v. 5.*

Syri Samariam obſidentes, Iſraelitas ad tantam annonę penuriam redegerant, ut nec infantibus parcerent. At divinitùs panico terrore incuſſo, cùm Aegyptiorum regem adventare metuerent, noctu omnes fugâ dilapſi, caſtra cum ingenti præda Iſraëlitis diripienda reliquerunt. *2. Reg. cap. 7.*

CAJUS CAESAR, qui Deos tantopere contemneret, ad minima tonitrua & fulgura connivere, caput obvoluere, ad verò maiora proripere ſe è ſtrato, ſub lectumque condere ſolebat. Peregrinatione quidem Sicilienſi, irriſis multorum locorum miraculis repente

à Meſſana noctu profugit, Aethnei verticis fumo ac murmure pavefactus.

Fuêre Scriptores, qui tradiderunt, *Hunnos*, poſteaquam Rhemis in Gallia in omnes ubique tum in templo, tum in aliis urbis locis repertos, truculenter ſatis ſæviſſent, atq; prædæ ac direptioni urbis animum adjeciſſent: vidiſſe in aëre cœleſtes acies dimicare, audiſſe ſonum fragoremq́; terribilem templum edere. Quibus ſignis exanimatos, à præda abſtinuiſſe, & ad diverſa quemque loca extra urbem tremebundos fugiſſe. *Olahus cap. 10. in Atila.*

Tantum de timore infideli: ſequitur ſecuritas carnalis.

Securitas carnalis hîc intelligitur illud peccatum, quum vivitur ſine cura, ſine timore irę Dei & judicii divini adverſus peccata: imò omnimoda carentia reverentiæ Dei, gignẽs Epicureum & Cyclopicum contemtum Dei, & ſtuporem planè ſtolidum, negligentem iram & judicium Dei.

Exempla.

Κυκλώπειος βίος, id eſt, *Cyclopica vita*, pro

ta,pro vita vehementer efferà ac barbara,quæ neque legibus neq; diſciplina civili conſtet, neque religione deorũ gubernetur. Qualem deſcribit Euripides tragicus Cyclopem hoc pacto loquentem faciens.

Ζηνὸς δ' ἐγὼ κεραυνὸν οὐ φρίσσω, ξένε,
Οὐδ' οἶδ' ὅτι Ζεύς ἐστ' ἐμοῦ κρείσσων
θεός. id eſt,

Atqui hoſpes ego fulmen Iovis non horreo,
neq; me Jovem præſtantiorem habeo deum.

Anaſtaſius Imp. *ἄθεος* ſomniis divinitùs immiſſis ad pœnitentiã invitatus fuit. Verùm ne ea quidem cœleſtia quoque & terribilia curavit præſagia. *Zonaras* memorat, dormienti terribilem aſtitiſſe virum, librũ manu tenentem,& hiſce verbis compellantem: *Ecce Imperator, ob κακοπιστίαν & perverſitatem fidei tuæ, annos XIV; vitæ tuæ deleo.* Paulus Diaconus lib. 15.

Mahometum II. Turcorum tyrannum exiſtimant, non magis Mahometanæ religioni, quàm aut Chriſtianæ, aut Gentilium adhæſiſſe. Educatus quidem à matre Chriſtiana Lazari Serviæ

Deſpotæ filia ab incunabulis fuerat, Dominicamq; precatiunculam ex ea didicerat: ſed quum adoleviſſet, *Mahometanam ſectā ſecutus, talem ſe exhibuit, ut neq; in Chriſtum, neque in Mahometum crediderit:* hincq; effectum eſt, ut promiſſa, niſi quatenus in ſuum commodum cederet, minimè ſervaret: atq; in nullo ſcelere culpam aut peccatum conſtitueret, quò ſuis ſatisfacere deſideriis valeret.

Jovius in vita ejus Mahometum Turcorum prophetam ſui ſimilem fuiſſe dixit, vel ſe illo tātò ſuperiorem, quòd is & Cyreneus fuerit ſervus, & fur, & latro, & à majoribus ſuis cum inhoneſtiſſimo in faciem vulnere turpiter fugatus ex Perſide. *Prophetas omnes atque Patriarchas pro nugis habuit.* Solum Alexandrum Magnum, potiſſimùm ubi de ejus furore ac libidine ſcribitur, admirabatur: cui ſe ſimilem aſſerebat, *Magnumq; Mahometus* dici à cunctis volebat, *Cuſpin.*

Providentiam *multos* negare ex infelicitate bonorū, & proſperitate ma-

lorum.

lorum. *Ovid. 3. Amorum 8.* his verbis, ſub ſua perſona, impiè affirmat:

Cùm rapiant mala fata bonos, ignoſcite faſſo,
Sollicitor nullos eſſe putare Deos.
Vive pius, moriere pius. cole ſacra: colentem
Mors gravis à templis in cava buſta trahet.

Explicatâ ſecuritate carnali: reſtat timor hominum potiùs quàm Dei.

Timor hominum potiùs quàm Dei, eſt peccatum quum quis plus timoris, nō ratione, ſed reſpectu præſentis poteſtatis, hominibus dicat, quàm Deo Opt. Max.

EXEMPLA.

Phariſæi plus timebant populum Judaicum, ne lapidarētur, quàm Deum.

Tertullianus de *Romanis* in *Apologetico adverſus Gentes, cap. 27.* ait; Ventum eſt igitur ad ſecundum titulum læſæ auguſtioris maieſtatis: ſiquidem majore formidine & callidiore timiditate Cæſarem obſervatis, quàm ipſum de Olympo Jovem, & meritò ſi ſciatis. Quis enim ex viventibus non quólibet mortuo potior? Sed nec hoc vos ratione facitis potiùs quàm reſpectu præ-

ſentaneæ poteſtatis, adeò & in iſto irreligioſi erga deos veſtros deprehendimini, quum plus timoris humano dominio dicatis: citiùs denique apud vos per omnes deos, quàm per unum genium Cæſaris pejeratur.

Interrogatus *Fridericus III. Imperator*, Quinam ſibi chariſſimi eſſent? *Qui me*, inquit, *nõ magis quàm Deum timent.* Joannes Petroſ. in *Convival. quæſt.*

CAP. III.

DE HONORE DEI.

QUi Deum propter ſuam ipſius bonitatem amant, atque propter potentiam infinitam timent, ii non minùs propter ejuſdem Sapientiam (quæ τῶν τιμίων τιμιωτάτη eſt) honorant.

Honor Deo debitus exhibetur:

1. *Quum eum religioſè adoramus, ejusq́ auxilium imploramus.*

EXEMPLA.

Alexãder Magnus oppugnaturus Hieroſolymas, ob negatum commeatum & auxiliares copias adverſus *Darium*

Perſa-

Perſarum regem, cum ad urbem veniens Iaddum ſummum pontificem pontificali habitu indutum vidiſſet: recordatus viſionis in Macedonia, qua ſimili habitu indutum viderat, exhortantem ſe ad expeditionem Perſicam, ideoq; religione motus, & *Iudaico populo* pepercit, & *Hebræorum Deum* adoravit, eiq; in templo Hieroſolymitano ſacrificavit. *Sab. lib. 4. En. 4. ex Joſephi lib. 11. cap. 8. Antiq.*

Magi Bethlehemam ab Oriente venerunt: & invenientes *puerum* cū paupercula matre, humiliter adoraverunt, & myſticas ei munerum ſpecies obtulerunt. *Matth. 2.*

Admonitus Tiberius à Pilato de Chriſti morte ac dogmate, ad ſenatum retulit, cenſuitq; *Chriſtum* in Deos referendum, ac templo honorandum. Fieri id nō modò ſenatus vetuit, quòd non ad ſe priùs, ſed ad Tiberium ſcripſiſſet Pilatus: verùm etiam pellendos vrbe totâ Chriſtianos cenſuit. Propoſita ſunt accuſatorib. præmia, quos Tiberius à tanto ſcelere minis & mor-

te prohibuit, *Tertullianus in Apologetico.*

II. Quum hymnis ſeu Pſalmis laudes Deo canimus.

EXEMPLA.

Pſalmum, *Hæc eſt illa dies, quam fecit Dominus*, in Palæſtina adeò uſitatum fuiſſe ſuo tempore ſcribit *D. Hieron. in Epiſtolis*, ut etiam *ruſtici* eum ad ſtivam concinerent.

Galenus XX. libros, quos *de uſu partium corporis humani* ſcripſit, poſtquam admirabilia ſecreta quæ in eis ſunt, retexerat, hoc dicto terminat, *Videmur nobis elegantem honoris cãtum in Dei laudẽ ceciniſſe*, meliusq; Seneca reprehendens eos qui ajunt, *Hoc aut illud natura fecit*, Tu naturæ (*inquit*) Deo nomen mutas, quãto pulcrius ſi dixeris, Deus hoc aut illud fecit? *Bodinus libro 1. Dæmonomaniæ, cap. 5.*

III. Quando humilitatem, fragilitatem & indignitatem noſtram agnoſcimus, confitemur, deploramus.

EXEMPLUM.

Eximiè commendatur à Domino fides *Centurionis*, qui dixit: *Domine, non ſum*

ſum dignus: quòd tantam fidem ne in Iſraele quidé univerſo repererit. *Matt. 8. Lucæ 7.*

IV. Vota religioſa, nec voluntati divinæ repugnantia, Deo faciendo.

EXEMPLA.

Oravit *Anna Helcanæ uxor*, mater Samuelis prophetæ, Dominum, flens largiter, & votum vovit, dicens: *Domine exercituum, ſi dederis mihi ſexum virilem, dabo eum Domino.* 1. Sam. 1.

Coorta tempeſtate, *Nautæ* timuerũt timore magno, & immolaverunt hoſtias Domino, & voverunt vota. Tum Jonas: *Quæcunq; vovi, reddam pro ſalute mea Domino.* Jonæ 1. & 2.

Henericus II. Imperat. prælium cum Ungaris, vovit: palàm coram univerſo exercitu, *ſi Dominus Deus victoriam daret, ſe Simoniacam hæreſin, ab Apoſtolo Petro exploſam atq; damnatam, quæ ab anteceſſoribus ſit temerè hactenus permiſſa, è toto ſuo regno expulſurum eſſe.* Quid verò poſtea præſtiterit, non eſt annotatum. *Luitprandus lib. 2. cap. 8. & Sigebertus.*

Cautela.

Ita honorandus eſt Deus, ut in verbo ſuo à nobis requirit. Ideoq́ omnis ἐθελοθρησκεία & ſuperſtitio à religioſo Dei cultu abeſſe debet.

EXEMPLA hujus Superſtitionis.

Nomen Dei Tetragrammaton ineffabile יהוה Judæi tanto proſecuti ſunt honore, ut illud nunquam efferrent, ſed *Elohim* aut *Adonai* loco illius pronunciarent, atque etiam ad Trinitatis myſterium denotandum tribus Iod notarent ייי: Præterea ſi quis in ſuo nomine proprio tres vel quatuor eius nominis literas poſſideret, non temerè à quoquam eodem nominabatur, præſertim in familiarib. & quotidianis colloquiis; ſed alio quodam fictitio, quod vel idem cum proprio ſignificaret, vel certè proprium inſigni aliqua notatione inſinuaret. Hinc quiſquis apud eos nomē יהודה *Judas* ſortitus eſt, vulgò *Leo* ſolet appellari, quia Geneſeos quadrageſimonono capite ſcriptū eſt, *Catulus leonis Judas*. Et in Evangelica hiſtori a

ſtoria *Judas Apoſtolus* interdum *Lebbæus* (quaſi *Leoninus*) interdum *Thadæus* quòd ferè idem quod *Judas* ſignificat, (*niſi quòd in illo ſancti Dei nominis nulla ſunt veſtigia*) appellatur.

Godefridus in expugnatione Romæ largo hauſtu vini febrem contrahens, vovit peregrinationem Hieroſolymitanam ſi febre ſolveretur. *Chron. Hirſaugienſe.*

CAPUT. IV.

DE OBEDIENTIA DEO DEBITA.

EA lege Magiſtratibus obedientia à Subditis præſtanda eſt, ut interim utriq; communem obedientiam Deo, velut Regi Regum ac Domino cunctorum dominantium debeant. Nam

1. Omnibus hominibus, ſeu ſuperioribus ſeu inferioribus præceptum eſt illud: *Auſculta voci ejus.* Exod. 23. verſ. 21.

2. Quia obedientia Deo præſtanda, plurimùm prodeſt cunctis hominibus

Deo obtemperantibus. Exod. 23. v. 22. *Nam ſi ſedulò auſcultaveris voci eius, & feceris omnia quæ edicam planè inimicabor inimicos tuos, & hoſtiliter agam cum hoſtibus tuis.*

Cæterùm *Obedientia Deo debita*, ſeu *obedientia Legis*; quam vocant, non eſt tantùm externa qualiscunq; diſciplina & rectio locomotivæ, ut *Phariſæi* opinabantur, quos Dominus refellit *Matth.* 5. ſed etiam internus habitus, interna conformatio animi ad voluntatem Dei.

Eſt enim habitus per Spiritũ Sanctũ in animis noſtris effectus, ut ſicut debemus, totos nos, quanti quanti ſumus Deo ſubjiciamus, ejusq; voci ac volũtati ſimpliciter in omnibus quæ mandat, aures cùm corporis tum maximè animi præbeamus, atque ea quæ vult, eoq; modo quo vult, ex corde puro atque ſincero, fideli atq; conſtanti, omnibusq; & animi & corporis viribus, ſine ulla vel minima repugnantia aut tergiverſatione in ſempiternũ faciamus, & quæ prohibet fugiamus, idque cùm

ad uti-

ad utilitatem Eccleſiæ, tum principaliter ad æternam gloriam ipſius Dei, Patris, Filii & Spiritus Sancti.

Si quando igitur contingat, aliud Deum, aliud homines præcipere: nullus ſupererit ſcrupulus, utri debeamus obſequium. Obedientia namque Deo debita ſimpliciter præferēda eſt omnibus obſequiis & officiis, quæ homines, quicunq; illi ſint, nemine excepto, efflagitant: quandoquidem jure divino hac regulâ conſtringimur, quàm Apoſtoli protulerunt, Act. 5. v. 29. *Obedire oportet Deo potiùs quàm hominibus.*

Ἀπορία:

Utrum obedientiam Legis Deo præſtare poſſimus; ſiquidem Deus in lege ſua obedientiam omnibus numeris abſolutam à nobis requirat?

Λύσις.

Obedientia perfecta, cōſtans tum partibus, tum gradibus Lege Dei requiſitis, in nullo hominum in hac corrupta natura invenitur; Sed in ſola Chriſti humanitate eſt; in cœlo autem eâ

donandi ſumus tandem per Chriſtum.

Interim regeneratis in hac vita conceditur *inchoata quædam obedientia erga Deum*, promanans ex beneficio Chriſti perfectæq; illius obedientiæ, virtute & operatione Spiritus Sancti nos magis magisq; regenerantis, & imaginem Dei in nobis inſtaurantis.

Observationes.

I.

Quicunq; Deum verè ac ſincerè diligũt atq; honorant, illi parati ſunt eidem quoq; obtemperare. Et rurſus: *Charitatem Dei habet, quiſquis ea quæ ab illo præcepta ſunt, ante omnia exſequi ſtudet.*

Testimonia Sacrae

Scripturæ.

Johannes Apoſtolus, *Hæc eſt charitas Dei*, inquit, *ut mandata ejus cuſtodiamus.* Ac ne quid excuſes, ſubjungit. *Et mandata ejus gravia non ſunt.* Idem alibi: *Et hæc eſt charitas, ut ambulemus ſecundùm mandata ejus.* Ipſe quoque Dominus in Evangelio: *Si diligitis me*, inquit, *mandata mea ſervate.* Et iterum: *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille*

eſt qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Et rurſum: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.*

II.

Nemo Deo rectè obedire poteſt, niſi priùs voluntatem ejus probè cognoverit.

EXEMPLUM.

Saulus (poſtea *Paulus* dictus) perſequutor Eccleſiæ Damaſcũ proficiſcens, fulgure afflatus, & in terram proſtratus, audiens verba *Jeſu Nazareni*, ait: *Domine, quid vis me facere?* Act. cap. 9.

Rurſum: Niſi ad cognitionem voluntatis divinæ obedientia quoque accedat, oberit potiùs, quàm proderit illa nuda & vana cognitio. *ille* namque *ſervus, qui novit voluntatem Domini ſui, nec ſe comparavit, nec fecit ex voluntate ejus, cædetur multis plagis. Luc. 12. v. 47.*

III.

Obedientia Deo præſtanda eſt, contra ſpem ſub ſpe, id eſt, etiamſi promiſſiones præceptis divinis annexæ, carnis præpoſtero

judicio, nunquam implendæ videantur.

EXEMPLA.

Abrahamus ut Deo obediret, patriam Hur Chaldæorum, domum cognationemq; reliquerat, ſe ſuosq; omnes circumcidi ſuſtinuerat: denique filium unicum uniceq; dilectum ſuis immolaſſet manibus, ſi Deus, quod iuſſerat, impleri voluiſſet. Non dixit: *In Iſaaco mihi promiſſum eſt ſemen, quare nunc puer adhuc occidi mandatur?* non dixit, *Quomodo unici filii ſanguine infelix pater manus polluam?* tacitus juſſa exſequi maturat: ut diſcas, non diſcutiendum eſſe mandatum ejus qui præeſt, ſed perficiendum. *Marulus lib. 4. cap. 3. ex Geneſ. capite 22.*

Simon Petrus, cùm totius noctis piſcationem caſſo labore peregiſſet, Domino tandem in naviculam ſuſcepto ac jubente laxavit rete: & tantam vim piſcium traxit, ut attonitus indignum ſe talis Domini præſentiâ judicaret, & genibus ſimul provolutus diceret: Exi à me, Domine, quia homo peccator ſum. Profectò qui ſic humiliabatur, jam

jam diligere cœperat. Hinc illi Dominus dixit, ne timeret, quod deinceps nõ piſces, ſed homines eſſet capturus. Quibus verbis, ita allectus eſt, ut quem modò à ſe exire volebat, mox exeuntem ſequi maturaret, & quidem relictis omnibus: ut jam palam eſſet nihil ſe præter Chriſtum appetere, nihil habere velle. *Luc. cap. 5.*

IV.

Obſequium Deo præſtandum eſt, animo promto atq; hilari, abſq; ulla tergiverſatione & faſtidio.

EXEMPLUM.

Quàm promtè cœleſti patri obſequendum ſit, Chriſtus Jeſus ſuo ipſius exemplo mõſtravit, cùm diceret: *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus qui miſit me.* Et: *Non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me Patris.* Marulus *lib. 4. cap. 3.*

V.

Obediendum eſt Deo conſtanter, continuoq; obſequii ἐνδελεχισμῷ.

EXEMPLA.

Chriſtus humiliavit ſemetipſum, fa-

ctus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. *Phil. cap. 2.*

Mirabilis inprimis jam à principio *Apoſtolorum* obedientia fuit continua: Nondum Chriſtum miracula facientem conſpexerant, nondũ cœleſtis regni retributionem per illum futuram audierant: & ſtatim ut vocavit eos relictis omnibus ipſum ſequuti ſunt, atque ita eidem adhæſerunt, ut nulla deinde adverſitate, nullis perſequutionũ tempeſtatibus avelli ſeparariq; potuerint. *Qui enim ſemel guſtaverit quàm ſuavis ſit Dominus, omnes alias ſuavitates facilè contemnet.* Sed neq; tunc parvum obedientiæ ſpecimen dedêre, cùm in deſerto turbæ diſcumbenti juſſi cibos apponere, quinq; panes, & duos piſces id eſt, totum quod habebant, nihil ſibi reſervantes porrexerunt. Siquidem *ipſi fame periclitari, quàm neceſſitatem excuſando, Domino ſuo non ſtatim obtemperare malebant.* Et quoniam lubenter paruerant, multò plura collegerunt quàm obtulerũt. Cùm deinde ad nunciandam gentibus veritatem deſtinarentur,

rentur, & ſupplicia & neces ſibi perferendas didiciſſent, nunquid quò minùs obedirent, exterriti ſunt? *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Et cùm verberibus minisque agitarentur ut tacerent, reſponderunt, *obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Marulus *lib. 4. cap. 3.*

VI.

Obedientiam Deo debitam ſincerè præſtantibus benedicere Deus vult, poteſt, ſolet.

EXEMPLA.

Noachus oraculum divinum ſecutus, arcam juxta Domini mandatum fecit, fabrefactam rexit, cataclyſmo omnia obtinente. Ideoq; & ipſe cum tota domo ſervatus, ſervataq; cum eo animalia omnia terræ & cœli, quæ quidem cum ipſo in arca erant. *Gen. cap. 6. & 7.*

Moſes aureum vitulum à populo factum videns, *Qui ſtant à Domino*, inquit, *accedant ad me.* Deinde accedentibus *Levitis* imperavit, ut arma induerent, & ſinguli occiderent fratrem ac proximum ſuum, qui ſe in idololatriam & cultum vituli abjeciſſet. Cumq; illi ad

triá hominum millia occidiſſent, Moſes dixit; *ipſos manum ſuam Deo conſecraviſſe, ut benedictionem ejus acciperent.* Deus itaque elegit eos, quibus jus trāderet primogenitorum, & prærogativam hanc, ut in perpetuum ſtarent coram Deo, populoq; jus dicerent. *Exod. cap. 32.*

Jehu Rex Iſraëlitarum, cùm totam ſtirpem Achabi Regis, juſſu Domini, interfeciſſet continuò audivit hāc vocem: *Filii tui uſq; ad quartam generationem ſedebunt ſuper thronum Iſraelis.* Marulus *lib. 4. cap. 3.*

Donec *Iſraelitæ* per deſertum ambulantes, ad imperium Domini erigebāt tentoria, & ad imperium ejus deponebant, benè illis erat. *Num. 9.*

VII.

Sæpenumero etiam non regeniti homines mandata divina admirantur, magnifaciunt, & exſequuntur.

Exempla.

Balaamus Ariolus dixit Balacho Regi: *Nónne dixi tibi, quodcunq; mihi Deus imperaret, hoc facerem?* Magnam reverentiam

188

rentiam habebat etiam homo malus ad imperium Dei. *Num. cap. 23.*

Cyrus Rex Perſarum, non verecundabatur dicere: *Præcepit mihi Deus cœli & terræ, ut ædificarem ei domum Hieroſolymis.* 1. Eſd. 1.

VIII.

Ex infirmitate pii quoq; ad tempus interdum morem non gerunt vocanti atque jubenti Deo.

EXEMPLA.

Obedivit *Moſes* Domino imponenti ducatum populi, quinquies tamen excuſavit ſe. *Exod. 3. & ſeq.*

Jonas fugiens primam vocationem Dei ſe committit mari: iteratâ verò vocatione divina Ninevitis prædicat. *Jon. cap. 1. & 3.*

Cautela.

Nulla in re, etiamſi honeſta, utilis & facilis appareat, dæmoni obediendum eſt.

EXEMPLUM.

Divus Hieronymus in vita *S. Hilarionis* narrat, Satanam in puella dæmoniaca, quàm obſidebat, loquutum eſſe, dicendo, *ſe non exiturum, niſi lamina ærea,*

quam amator puellæ ſubdiderat januæ, auferretur: hoc noluiſſe Hilarionem facere, & precibus ad Deum puellam liberaſſe.

Anno 1528. quidam gregarius miles, fortè in civitate quadam Saxonica adverſa valetudine retentus, ibi cùm decumberet, tradidit ſaccum refertum magnâ pecuniâ hoſpiti cuſtodiendum. Poſt aliquot dies cùm convaleſceret, repoſcit ſaccũ. Mulier hoſpitis avara, ægrè tantam prædam amittens, deliberat cum marito, utrũ pecuniam redderet, an non? Iniverunt conſilium, ut mulier neget depoſitum. Miles indignitate rei victus, ſtringit gladiũ, tanquam impetum in hoſpitem facturus. Hinc in carcerem conjicitur. Cùm autem inſtaret dies judicii, in quo miles condemnandus erat, venit diabolus in carcerem ad captivum, indicans ei quã ſententiam Judices laturi ſint, & pollicetur, *ſe hoc periculo eũ liberaturum eſſe, hac conditione, ut ſe diabolo dedat.* Miles conſtanter reſpondit *ſe potiùs moriturum eſſe, quamvis ſit innocens.* Cùm verò dia-

rò diabolus verbis multis exaggeraſſet periculum, nec tamen inflexiſſet militis animum: tandem pollicetur liberationem ſine ulla conditione. Et *cùm veneris*, inquit, *in judicium, dic te imperitum eſſe forenſium negotiorum, & patrono indigere, ibi aſtabo cæruleo pileo tectus, & ornato pennis: pete igitur ut me jubeant cauſam dicere.* Miles per imprudentiam dicit, *ſe hoc conſilio uſurum eſſe*, quod etiam fecit, eo quidem ſucceſſu, ut cùm ſua ipſius innocentia, tum hoſpitis perfidia deprehenſa fuerit. Interim miles mori potiùs, quàm patrono illo uti debuiſſet. *Manlius in explicatione præcepti 2.*

Caput. V.

De Gratitudine erga Deum.

Quandoquidem contraria juxta ſe poſita magis eluceſcunt, de utraque & gratitudine & ingratitudine erga Deũ paucis diſſeremus, eam maximè ob cauſam, quoniam in hac mundi ſe-

di ſenectute; tanta eſt hominum in Deum ingratitudo, ut major eſſe nequeat.

De Gratitudine
obſervatio I.

Gratitudinem ſeu gratum animum benefactori præſtandum ac probandum eſſe ipſa quoq; natura ſaniores quoſdam Gentiles docuit.

Exempla.

Chilon dicere ſolebat, *Beneficii dati obliviſci decet, accepti meminiſſe vulgus hominem contra facit.* Si quid cui benefecerũt, ſine fine prędicant, ſineq; modo exaggerant: ſiquid in ipſos collocatum fuerit officii, mox aut obliviſcũtur aut diſſimulant, aut elevant.

Python, Atheniéſibus ob res feliciter geſtas ipſum admirantib. ac prędicantibus, quòd Cotyn regem interemiſſet: *Diis*, inquit, *habenda eſt gratia, quibus authoribus hoc facinus præclarè geſtum eſt, nam ipſe nihil aliud quam manum & operam meã commodavi. Eventus rei in manu Dei eſt, & huic debetur gratia, ſi quid feliciter ceſſerit.* Eraſm. *l.6. in Apophth. ex Plut.*

II. Grati-

II.

Gratitudo erga Deum declaranda eſt propter beneficia partim piis & impiis communia, partim, & quidem potiſſimùm propter ea, quæ in ſolos electos homines confert Deus.

Beneficia piis & impiis communia ſunt:

1. Creatio.

Cùm ad Concilium Conſtantienſe Cardinales duo iter facerent, *paſtorem* vident ſtantem, & flumen lachrymarum profundentem. Accedit alter, & cauſam rogat. Poſt longa ſuſpiria tandem in hæc verba prorupit paſtor: *Videſne, domine, fœdum illũ bufonem in proximo? Hoc ipſum deploro, quòd Deus me ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creaverit, & forma & ratione longè excellentiorem miſero iſto bufone: ego verò ingratus adeò & impius, nunquam adhuc Deo & Creatori meo pro tanto munere gratias egerim.* Movit ea res Cardinalem, adeò ut coram Patribus in ſynodo exclamaret: *O dive Auguſtine, quàm verè à te dictum eſt:* Indocti prodeunt, & cœlum præ nobis auferunt; *nos verò cum ſcien-*

tia noſtra in carne & ſanguine ambulamus de noſtrâ ſalute nimium ſecuri. Luther. tom.5. ſuper Magnificat.

2. Sanitas recuperatâ.

Tobias ſenior gratias Domino egit pro viſu recepto, pro filio incolumi cū opulenta uxore è Media Niniven reverſo. *Tob.cap.12.*

Unus è decem leproſis ad mandatum Domini mundatis regreſſus eſt: & cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens. *Luc.cap.17.*

Claudus à Petro ſanatus, intravit cum Apoſtolis in templū, ambulans & exiliens, & laudans Deum. *Act.3.& 4.*

3. Vitæ Conſervatio.

Devotè exſolverunt laudes Deo *tres pueri*, de fornacis incendio liberati. Quinetiam Rex ipſe *Nabucodonoſor* fecit prædicari mirabilia Dei in toto regno. *Dan.3.*

4. Victoria.

Judæi omnes, cæſo muliebri manu, Oloferne, venerunt Hieroſolymā adorare Dominum, & obtulerunt omnes holo-

holocauſta, vota & promiſſiones ſuas *Judith. 16.*

Joſaphatus Judaeorum Rex, victoriam adeptus adverſus Moabitas, Ammonitas & Idumæos, apud Engadi, in valle, gratias egit cum totò exercitu, quæ inde nomen obtinuit, ut Vallis gratiarū actionis diceretur. *2. Paral. 20.*

Theodorus II. Imper. Circenſes ludos ſpectans, nuncium *Aſparis ducis ſui* de Joanne tyranno Ravennæ capto audiens: ſtatim ludis, quos ſpectabat omiſſis, in templum ad gratias Deo agendas proceſſit, atq; eò quoque univerſum populum traduxit. *Sigonius lib. 11. Imp. occid.*

Alphonſus Arragonius inſigni victoriâ matutino tempore ad Trojam potitus, non priùs arma deponere, & corporis curam habere voluit, quàm gratias Deo pro felici ſucceſſu egiſſet. *Ludovicus Dominicus lib. 1. Var. hiſt.*

5. Opes.

Studioſè gratias agebat Deo *Jacobus patriarcha*, dicens: *Domine minor ſum cunctis miſerationibus tuis.* Gen. c. 32. v. 10.

Beneficia piis propria ſunt vocatio ad Chriſtum, juſtificatio, regeneratio &c.

Non minùs, imò magis pro his beneficiis ſibi propriis pii Deo gratias agere debent, quàm pro communibus,

EXEMPLA.

Alphonſus Aragonum Rex, Deo Opt. Max. pro omnibus beneficiis gratias agere ſolitus, ob tria tamen inprimis ſe gratum Deo animum exhibere, dicere ſolebat: quod ſe hominem nō belluam creaſſet; quòd Chriſtianum: quòd tot & tantorum regnorum regem & dominum. *Teſtis eſt ipſemet in Oratione contra Turcas.* Medio loco *Chriſtiani* mentionem facit, beneficium omnium præſtantiſſimum innuens.

Gratias ago Deo meo (*inquit Paulus*) qui me cōfortavit in Chriſto: qui prius fui blaſphemus & perſequutor & contumelioſus, ſed miſericordiā Dei conſequutus ſum. *1. Tim. 1.*

Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedixit nobis omni benedictione ſpirituali in cœlis in Chriſto. *Idem Eph. cap. 1.*

Bene-

Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ex multa ſua miſericordia regenuit nos in ſpem vivam per reſurrectionẽ Jeſu Chriſti ex mortuis in hæreditatem quę nec perire poteſt, nec contaminari, nec marceſcere, nobis in cœlis ſervatam. *1. Pet. 1. v. 3, 4.*

Obſervat. 3.

Non tantùm noſtri ipſorum causâ, ſed etiã pro aliis Deo gratias agere tenemur: ut enim piis precibus alii alios in hac vita juvare debemus: ſic quoq; ſtudio gratitudinis erga Deum aliis prodeſſe quiſq; debet.

EXEMPLA.

Videntes *turbæ* paralyticum à Domino curatũ, glorificauerũt Deum qui dediſſet poteſtatem talem hominibus. *Matth. cap. 9.*

Viduæ filio ſuſcitato, invaſit *omnes* timor, & magnificabant Deum, dicentes: *Propheta magnus ſurrexit.* Luc. 7.

Claudo à Petro ſanato, *omnes* glorificabant Deum. *Act. 4.*

Gratias ago pro omnibus (*ait Pau-*

lus) quia fides veſtra annunciatur univerſo mundo. *Rom. 1.*

Gratias ago Deo meo ſemper de vobis, ob gratiam Dei quæ data eſt vobis in Chriſto Jeſu: quòd omnibus in ipſo ditati ſitis, omni loquendi facultate, omniq́ue notitiâ: prout teſtimonium Chriſti confirmatũ fuit in vobis. Adeò ut nullo dono deficiamini, expectantes dum reveletur Dominus noſter Jeſus Chriſtus. Idem *1. Cor. 1. v. 4, 5, 6, 7.*

De Ingratitudine.

Ingratitudo, quàm Græci ἀχαριςία vocant, eſt vitium cùm quis pro beneficiis acceptis adverſus benefactorem aliter ſe gerit quam veritas & juſtitia poſtulat.

Vitium eſſe certum eſt, quia contrarium ejus, nempe gratitudo, *virtus* eſt.

Ac ſicut *gratitudo* ex veritate & juſtitia conſtat: ita *ingratitudo* ex mendacio & injuſtitia cõflatum ſcelus eſt: ſic ut omnis ingratus & *mendax* ſit & *injuſtus*; quod *Gentiles* etiam agnoverunt, quemadmodum *Xenophon* refert *lib. 2. de dictis & factis Socratis*, Socratem dixiſſe,

xiſſe, ἀχαριστίαν εἰλικρινῆν ἀδικίαν, id eſt, *ingratitudinē manifeſtam injuſtitiam eſſe.*

Ingratitudinis autem quinq; ſunt *ſpecies*;

1. Cùm quis pro beneficiis gratiam non refert facto.

2. Cùm quis etiam verbis gratias non agit.

3. Cùm quis accepta beneficia animo non agnoſcit.

4. Cùm quis ſe accepiſſe verbis negat.

5. Cùm quis pro beneficiis maleficia rependit.

Hę ſpecies ingratitudinis ſunt, quarum poſterior quęq; eſt gravior priore.

Eſt equidem *ingratitudo in homines* crimen deteſtabile, at longè deteſtabilius, quando *in Deum* cōmittitur, primum ac ſummum benefactorem noſtrum, à quo, quicquid ſumus & habemus, accepimus.

Ingratitudo erga Deum eſt peccatum, cùm nos Dei in nos beneficia cùm corporalia, tum inprimis ſpiritualia eorúmve magnitudinem non agnoſci-

mus animo memoriaq; retinemus,gratiamq; pro iis non ſemper habemus & agimus,& verâ ac perpetuâ obedientiâ nos ei gratos præbere non ſtudemus.

Hoc peccato inter homines nihil frequentius, ingratitudine nimirum adverſus Deum, quo nihil benignius, nihil liberalius.

Id verò adverſus Deum multis modis declaratur, nẽpe *vel* oblivione acceptorum beneficiorum: *vel* diſſimulatione, cùm quis non per ſe & ultro profitetur ſe accepiſſe à Deo beneficia: *vel* extenuatione, *vel* negatione beneficiorum acceptorum: *vel* maligna interpretatione, cùm quis beneficium loco maleficii habet: *vel* denique relatione maleficiorum.

Exempla.

Adamus & *Eva* beneficii à Deo accepti immemores, Domini præceptũ, fructum vetitum comedendo, transgreſſi ſunt,& æternâ ob id morte damnati, per Chriſtum tamẽ ab ea liberati.

Iſraëlitæ beneficiorum Dei immemo-

mores, Aaronem ſibi deos facere coegerunt, cùm moram faceret Moſes in monte. *Exod.cap.32.*

Iidem indignabantur, quòd per Moſen & Aaronem ex Aegypto educti eſſent; quaſi nō beneficio, ſed maleficio per illos affecti fuiſſent.

Jeroboamum Dominus regno decem tribuum donavit. Ille verò libidine dominandi elatus, populum avertit à cultu Dei. *1.Reg.cap.12.*

Conquerēdo dicit Dominus de populo Judæorum, *Filios enutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me. Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini: Iſraël aūt me non cognovit.* Jeſa.*c.1.*

Leproſos decem mundarat Chriſtus ſalvator noſter, quorum *novem* non agnoſcentes divinum beneficium, inſalutato Domino abierunt: decimus autem in faciem ante pedes ejus procumbens, gratias egit. *Luc.cap.17.*

Judas à Chriſto in Apoſtolum ſuſceptus, viliſſimo precio, ſuum & omnium mortalium Dominum, falſo oſculo in manus inimicorum tradidit.

Obſervat.

Προφυλακὴ, ac præmunitio adverſus ingratitudinem in Deum eſt perpetua recordatio beneficiorum Dei: ac proinde ſtudioſè cavẽdum eſt, ne illa animo noſtro excidant.

EXEMPLA.

Benedic anima mea *inquit David,* Jehovæ, & omnia inteſtina mea nomini ſanctitatis ejus. Benedic anima mea Jehovæ, & ne obliviſcaris ullius beneficiorum ejus: qui cõdonat omnes iniquitates tuas, qui medetur omnibus morbis tuis: qui vindicat à fovea vitã tuam, qui circumtegit te benignitate & miſerationibus. *Pſal 103. v. 1, 2, 3, 4.*

Placilla Theodoſii Romanorum Imperatoris uxor, cùm videret maritum à pietatis veræq; religionis ſtudio alienum magis eſſe, quàm Imperatorem deceret, ſubinde ad eum dixiſſe fertur: *Conſiderare te oportet ſuaviſſime conjunx, quis antea fueris, & in quem locum te evexerit univerſitatis hujus Deus; ſi enim perpetuã ejus rei obtinueris memoriam, non prorſus te ob accepta beneficia erga eum ingratum*

præ-

præſtabis; ſed ex præſcripto legum Dei, quod ab eo accepiſti, gubernabis imperium, & ita eum, qui tibi, ut fideli miniſtro, commiſit, ritè coles. *Nicephorus Calliſt. lib. 12. cap. 42.*

Caput. VI.

De Confidentia erga Deum.

Confidentia erga Deum meritò dicitur fons eorum officiorum omniũ erga Deum de quibus hactenus dictũ eſt, nempe *amoris, timoris, honoris, obedientiæ, & gratitudinis.* Eſt enim internus quidam habitus, à Spiritu S. infuſus, à quo omnes reliquæ actiones tanquam à fonte profluunt.

Cæterum voce *Confidentiæ* complectimur *fidem* ſalvificam & *ſpem*: quæ partim *conveniunt*, partim *differunt*.

Conveniunt *fides ſalvifica* & *ſpes*:

1. In *cauſa efficiente communi*: nam utraque eſt donum à Spiritu S. animis noſtris infuſum.

2. In *adjuncta certitudine*: nam par

eſt utriuſque certitudo. Quantum habemus fidei, tantundem etiam habemus ſpei.

Differunt verò *fides* & *ſpes*: nam

Fides ex ſe gignit ſpem, ſic ut *ſpes* ſit poſterior fide ejusq́; comes individua.

Fides eſt certa de veritate Dei perſuaſio, quòd nec mentiri nobis, nec fallere, nec irrita eſſe queat: *Spes* expectat fore, ut promiſſiones ſuas Deus præſtet.

Fides credit promiſſioni divinæ: *Spes* patienter expectat præſtationem promiſſionis.

Fides Deum veracem credit: *Spes* expectat ut in temporis occaſione veritatem exhibeat.

Fides credit Deũ nobis eſſe Patrem: *Spes* expectat ut ſe talem erga nos ſemper gerat.

Fides datam nobis vitam æternam credit: *Spes* expectat ut aliquando reveletur.

Fides accipit præſentia beneficia Dei vel etiam in ſpe poſita, repræſentat ac veluti oculis ſubjicit: *Spes* expectat futura. *Fides*

Fides fundamentum eſt, cui *Spes* incumbit.

Fidem alit *Spes* ac ſuſtinet. Ut enim expectare à Deo nemo quicquam poteſt,niſi qui priùs ejus promiſſis crediderit: ita rurſus fidei noſtræ imbecillitatem,ne velut feſſa concidat,ſuſtineri ac foveri patienter ſperando & expectando oportet. Itaq; *Spes* eſt fideì alimentum & robur.

Afferemus igitur hîc eorum exempla, qui Deo confiſi ſunt, ejusq; promiſſis & bonitati fidem habuerunt. Idque *vel* quoad corporalia, terrena & temporalia: *vel* quoad ſpiritualia, cœleſtia & æterna: *vel* quoad vtraque ſimul.

EXEMPLA

I. Ordinis.

Suſanna duorum presbyterorum iniquo cōdemnata teſtimonio, corde ſuo fidebat Domino, *Dan. 13.*

Socii Danielis regi Nabucodonoſori dixêre, Deus noſter, quem colimus, poteſt nos eripere de camino ignis, & de manu tua liberare. Atque ut nolit,

deos tamen tuos non colemus. *Dan. cap.3.*

Hi credunt ac ſperant, ſe à morte liberatum iri.

Eſdras Sacerdos cum Judæis è Babylone profectus, permiſſu Xerxis regis, equites deductores recuſavit, Deo ſuorum vitam curæ futuram aſſerens, ut humano auxilio non egeret. *1. Eſdræ 8. & Joſephus lib. 11. c. 5. Antiq.*

Videns *Nehemias* multa imminere pericula & labores ædificantibus, magnâ fide dixit: *Deus noſter pugnabit pro populo, & nos ipſi faciamus opus.* Neh.4.

Philo cum aliis Judæis apud C. Caligulam accuſatus ab Appione, quòd Cæſari divinos honores nõ tribueret, ejectus ex aula, ſociis Judæis reſpondit: *Bono animo nos eſſe oportet, quibus iratus eſt Cajus: quia neceſſe eſt adeſſe divinum, ubi humanum ceſſat auxilium.* Euſebius *lib. 2. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ cap. 5.*

Iſti crediderunt ac ſperarunt ſe defenſum iri ab inimicis.

Jonathas Saulis Regis filius dixit armigero ſuo: *Non eſt Domino difficile, ſalvare vel in multis vel in paucis.* 1. Sam. 14.

Cùm

Cùm provocante *Goliatho Palæſtino*, omnes Iſraëlitæ ſummo timore correpti eſſent, *David* quantũlibet puer animum non deſpondit, ſed Jehovæ armipotentis nomine, in quod præputiatus ille blaſphemus fuerat, confiſus, eum fundâ humi proſtratum occidit. *1. Sam. cap. 17.*

Joſaphat Rex Juda, exercitui ſuo ad pugnam congregato dixit: *Credite in Domino Deo veſtro & ſecuri eritis: credite Prophetis ejus, & cuncta evenient proſpera.* 2. Paral. 20.

Judas Machabæus ſociis timentibus dixit: *Facile eſt concludi multos in manibus paucorum, & non eſt differentia manus Dei, liberare in multis, aut in paucis: quia non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cœlo fortitudo eſt.* 1. Mach. 3.

Hi ſpem obtinendæ victoriæ conceperunt.

EXEMPLA.

II. Ordinis.

Mariæ Magdalenæ dixit Dominus, *Fides tua te ſalvam fecit, vade in pace.* Sicque illa fide in Jeſum Chriſtum remiſſionem peccatorum gratuitam obtinuit. *Luc. cap. 7.*

Parentibus Tobiæ irridentibus eũ, & dicentibus: *Ubi eſt ſpes tua, pro qua eleemoſynas & ſepulturas faciebas? Tobias* increpavit eos, dicens: *Nolite ita loqui, quoniam filii Sanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt his, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo.* Tob. 2.

Exempla
III. Ordinis.

Abrahamo centenario promiſſio fit de filio. *Credidit & expertus eſt.* Quadringenteſimo demùm anno poſteri ipſius terram Sanctam obtinuére, quò tardiùs, eò miraculoſiùs. *Idem per fidem primùm placuit Deo.* Cùm enim promiſſiones ſeminis ſui, id eſt, Christi, in quo benedicendæ omnes nationes erant, accepiſſet, ſic de illo ſcriptũ legimus: *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam. Non eſt autem ſcriptum tantùm propter ipſum,* inquit Apoſtolus, *quia reputatum eſt illi ad juſtitiam: ſed & propter nos, quibus reputatibur, credentibus in eum, qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum à mortuis,*